This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HD WIDENER
HW T67B G

C1310.1

Harvard College Library

FROM THE BEQUEST OF

JAMES WALKER, D.D., LL.D.

(Class of 1814)

FORMER PRESIDENT OF HARVARD COLLEGE

"Preference being given to works in the Intellectual and Moral Sciences"



CASIMIRI QUDINI TRIAS DISSERTATIONUM CRITICARUM:

Prima DE CODICE MS. ALEXANDRINO BODLEIANÆ Bibliothecæ, quem Anglorum doctissimi *antiquissimum totius Orbis & præstantissimum* oscitanter pronuntiarunt.

Secunda DE QUÆSTIONIBUS AD ANTIOCHUM PRINCIPEM IN SCRIPTURAM SACRAM, *quæ sub nomine Sancti Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi, in Operibus illius impressis omnibus, circumferuntur.*

Tertia DE COLLECTANEO SEU COLLECTIONE ANTIQUITATUM CONSTANTINOPOLITANARUM DOMNI ANSELMI BANDURII, duobus integris capitibus *aucta*, aliisque in locis, & emendata, cum censura Samuelis Masson.

Unde Antiquarii eruditi noscent, quantâ prudentiâ ac cautelâ ætatem incertam Codicum Manuscriptorum veterum taxare debeant.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1717.

~~HE 1211~~
C1310.1

HARVARD COLLEGE
OCT [illegible]
LIBRARY.

Walker fund

CASIMIRI OUDINI

DISSERTATIO PRIMA

DE

CODICE MS. ALEXANDRINO

BIBLIOTHECÆ BODLEJANÆ,

Quem Anglorum doctiſſimi antiquiſſimum totius Orbis & præſtantiſſimum oſcitanter pronuntiarunt.

DISSERTATIO SINGULARIS

De Manuscripto Codice Alexandrino, unde suam Editionem Versionis LXX. Interpretum postremam Joannes Ernestus Grabius publicandam aggressus est.

PROLOGUS.

Non ignobilem sibi famam ætate nostra ob eruditionem comparavit Joannes Ernestus Grabe, mihi non ignotus ob peritiam in Græcis atque circa Scripturas veteres & manuscriptorum Codicum characteres probè assequendos industriam. Hic mihi dictus Borussus ac patria Regiomontanus, qui cùm sciret esse difficile, ut quis in patria sua assurgeret in Prophetam, mutato solo in Angliam transfretavit, ubi patronos nactus, illic ad mortem usque permansit, Operibus multis nec ignobilibus, dum viveret, in lucem productis. In tantum verò famam nominis extendit, ut nonnulla ex pluribus relictis ejus Opusculis, prælo à Bibliopola Londini subjicerentur. Sic enim habent Acta Eruditorum Lipsiæ Anni 1713. mense Augusto pag. 165.

Exempla defectuum & omissorum in Guillelmi Whistoni Collectione testimoniorum Scripturæ & Patrum, contra veram Filii & Spiritus Sancti Deitatem, nec non ψευδερμηνείας quorundam, observata à Joanne Ernesto Grabio, sacræ Theologiæ Doctore. Præmittitur Dissertatio Georgii Hickesii S. Th. Doctoris, qua de Grabio ejusque Manuscriptis, ut hoc Tractatu posthumo disseritur. Londini apud Henricum Clements 1711. in 8. plagis 7. Quo de O-

pere ita loquuntur Lipſienſes Eruditi pag. 166. à me hic ad verbum deſcribendi, ad hujus Ernesti Grabii notionem pleniorem.

„ Gratiſſimam ſanè univerſo Orbi erudito operam „ fecit, vir jam ſæpe in his Actis cum laude memo- „ ratus, Georgius Hickeſius, quod eruditiſſimi Gra- „ bii, inſigni rei litterariæ damno extincti, memoriam „ egregiam hac Diſſertatione parentaverit. Cum e- „ nim ipſe Grabius per tabulas teſtamenti, Manuſcri- „ ptorum ſuorum cuſtodiam Hickeſio, ac poſt ejus „ mortem Reverendo viro D. Smalridgo Decano Car- „ leoleniſi mandaverit, poſtremum verò ea in Biblio- „ theca Bodlejana reponi voluerit: erat ſanè è re „ Eruditorum, ut, qui rei Eccleſiaſticæ theſauri iſtic „ abſconditi laterent, cognoſceremus. Memoranda „ hic ſunt cumprimis duo quæ ſuperſunt volumina „ textus τῶν ὲ ex Codice Alexandrino, cum ampla „ collectione ad Annotationum, Diſſertationum & „ Prolegomenorum *volumini quinto* deſtinatorum ap- „ paratum ſpectante, ad quam editionem perficien- „ dam, Executores ſui teſtamenti, illuſtrem Ludo- „ vicum Fredericum Bonetum Regis Boruſſiæ nomi- „ ne Londini Reſidentem & Nelſonum curaturos eſſe, „ ut obtineantur *Manuſcriptæ Origenianorum Collatio- „ nes*, totumque Opus publicetur, ſperare jubemur. „ Recenſentur porro hic ex Manuſcriptis ejus, *Apo- „ graphum textus Alexandrini Novi Teſtamenti, & Epi- „ ſtolæ Clementis cum Notis. Duo Tomi Spicilegiorum* re- „ viſi, correcti ac inſigniter aucti, cum *tertio tomo*, „ quem ut cum Orbe erudito communicare quam pri- „ mum poſſet, Auctorem impenſe ſemper optaſſe me- „ minimus. *Irenæus ad novam editionem inſtructus*, ac „ ad defenſionem contra Maſſuetum paratus. Inſi- „ gnis copia fragmentorum Origenis plagulis cxxv. „ collectorum, cum ingenti numero fragmentorum ex

„ aliis

„ aliis Patribus & Hæreticis: siquidem ut recte monetur pag. 68. summo studio noster versabatur, in „ detegendis etiam Apocryphis & Hæreticis primorum „ sæculorum scriptis, probè gnarus, quantum Hellenisticæ dialecti in his omnibus dominantis cognitio, „ accuratæ Sacrorum Scriptorum interpretationi serviat. Prolixius aliquanto recensetur aliud Grabii Manuscriptum sub titulo, *Angliæ Ecclesiæ prærogativæ præ aliis Protestantium cœtibus in praxi & doctrina.* „ Verbi gratia, ut aliqua memoremus, in Hierarchia Ecclesiastica, in celebratione Eucharistiæ, in administratione confirmationis per χειροτονίαν ex Hebræorum cap. 6. versu 2. In ritibus quibusdam commendatis, ut sunt pag. 167. immersio baptizandorum, jejunium quadragesimale &c. in moderatione circa formandos fidei articulos, in restitutione præcepti secundi de imaginibus, in articulo de justificatione & prædestinatione x. vers. λ. „ Quanquam & his omnibus addiderit sigillatim *desiderata.*

„ Memorantur porro Tractatus ejus complures Manuscripti adversus errores Romanæ Ecclesiæ. Verbi gratia, *Petrus non Monarcha, Petrus non Petra, Romanæ Ecclesiæ & Ethnicæ religionis similitudo & convenientia.* Tractatus de Idololatria. Nova Babylon, Roma Meretrix. De communione sub utraque specie. Et hac recensione, Grabii fama ab Hickesio pag. 10. ad 17. & pag. 25. ad pag. 31. prolixè adversus Papizantis animi, vel παλαιομανίας imputationem defenditur. Quumque vel ex moderatorum inter Anglos Theologorum moliminibus sub Guillelmo III. luculenter constat, eos quoque de incrementis reformationis nondum satis perfectæ cogitasse monstratur. Imprimis verò dolendum est, incomparabili studio collecta, magni, quod meditabatur Grabius,

„ Operis *De Pſeudo-Apoſtolicarum Conſtitutionum origine, genio ac de falſitate* ſubſidia, ejus ultimam manum deſiderare, quæ clariſſimus Hickeſius pag. 17. ad „ 23. exponit: ſpemque facit, ſi quis adverſus Whiſtonum ſcripturus, aut aliquo modo iis ad Orbis „ eruditi fructum uſurus, eorum copiam deſiderat, „ non penitus eam negatum iri. Quod ſane ex mente „ ipſius optimi Grabii fieri, notum eſt iis, qui promptitudinem illius in communicandis propriis inventis ſummam experti ſunt: & ipſe clariſſimus Hickeſius aliquot exemplis docet, raram inter Eruditos „ virtutem ex merito ipſi vindicans.

Hæc Lipſienſes in *Actis Eruditorum*, quibus Grabii meritum maximè commendant. Imo audio ex *Novellis Litterariis* hoc anno 1716. Hagæ Comitis apud Henricum du Sauzet impreſſis, Londini *Henricum Clementem* Bibliopolam eſſe paratum ad imprimendum ex Manuſcriptis Grabii *tertiam partem Veteris Teſtamenti* ex MS. Codice Alexandrino, quæ *Prophetas omnes* complectitur, atque etiam *Novum Teſtamentum* ex Codice eodem, de quibus ex Hickeſio Lipſienſes antea locuti ſunt. Nullum enim Opus quod Erneſto Grabio famam tantam comparaverit, ut editio Codicis hujus Alexandrini, quem antiquiſſimum vir bonus arbitratus fuit, atque ſæculo Eccleſiæ quarto, tempore Nicænæ primæ Synodi ſcriptum credidit, ex titulo ipſius noviſſimo, à Cyrillo Lucari Patriarcha Conſtantinopoleos adpoſito. At ex deſcriptione hujus MS. Codicis, quam Operis primo volumini Grabius ipſe appoſuit, Grabius cæcus cæcum Lucarim & in his rebus parum exercitatum ſequutus, nimbo in foveam lapſi ſunt. Quamvis enim Editor magnam ſibi laudem ex iſta editione annis 1707 & 1709. factâ reportaverit, atque ab Anna Angliæ Regina penſionem centum aureorum Anglicorum habuerit in mercedem laboris ſuſcepti, oſten-

dam

dam tamen Deo adjuvante, Grabium hac in parte graviter erraſſe, nec poſſe eſſe Codicem hunc, tantæ antiquitatis jactatum ac prædicatum, ſæculo antiquiorem decimo, quidquid ad falſam ejus antiquitatem ſtabiliendam Joannes Erneſtus Grabius in Prolegomenis attulerit.

CAPUT PRIMUM.

Deſcriptio hujus Codicis Manuſcripti Alexandrini, ex ipſo Grabio, poſt titulum Operis inſcripti, Septuaginta Interpretum Tomus primus, continens Octateuchum; quem ex antiquiſſimo MS. Codice Alexandrino accurate deſcriptum, ſumma curâ edidit Joannes Erneſtus Grabe S. T. P. Oxonii è Theatro Scheldoniano Anno Chriſti MDCCVII. *Prolegomenorum cap.* I. *Notitia Codicis* Alexandrini, ejuſdemque præſtantia præ Editione Romana, præcipuè quoad Octateuchum.

„§. 1. QUem nos *Alexandrinum* appellamus *Codicem*, „ ei id cognomen hæſit, quod *Alexandriâ* „ eundem ſecum Conſtantinopolim detulerit *Cyrillus* „ *Lucaris*, primum in illa, poſt in hac urbe Græcæ „ Eccleſiæ Patriarcha: qui pro eximio erga Anglica„ num Regnum atque Eccleſiam affectu, vetuſtiſſimum „ hunc Librum Manuſcriptum Carolo I. piiſſimo Re„ gi atque Martyri per Dn. *Thomam Roe*, Equitem „ Auratum, ac lauſdati Regis ad Imperatorem Turca„ rum Legatum, dono ſanè egregio, ſeptuagintâ ab„ hinc & quod excurrit annis miſit, additâ Schedâ, „ quâ brevem dicti Codicis notitiam propriâ manu tra-

„ didit sequentibus verbis: *Liber iste Scripturæ sacræ*
„ *Novi & Veteris Testamenti, prout ex traditione habe-*
„ *mus, est scriptus manu Theclæ, nobilis fœminæ Ægy-*
„ *ptiæ, ante mille & trecentos annos circiter, paulo post Con-*
„ *cilium Nicænum. Nomen Theclæ in fine libri erat ex-*
„ *aratum, sed extincto Christianismo in Ægypto à Ma-*
„ *hometanis, & libri unà Christianorum in similem sunt*
„ *redacti conditionem. Extinctum ergo & Theclæ nomen*
„ *& laceratum, sed memoria & traditio recens conservat.*

Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus.

„ §. 2. Appellat Codicem istum *Scripturæ Novi & Ve-*
„ *teris Testamenti*, quoniam utriusque Libri Canonici,
„ ac hujus Apocryphi quoque eo continentur, uti pa-
„ tet ex Indice, quem ipsa Librarii manus eidem Co-
„ dici præfixit, quemque hic verbatim, additis solùm
„ accentibus & spiritibus, quibus illè caret, describam,
„ & singulis libris numerum folii, paginæ & colu-
„ mnæ ubi incipiunt, apponam. Est verò talis.

Γένεσις Κόσμυ fol. 1. pag. 1. col. 1.
Ἔξοδ⊙ Αἰγύπτυ fol. 34. pag. 1. col. 2.
Λευιτικὸν fol. 59. pag. 2. col. 1.
Ἀριθμοὶ fol. 78. pag. 1. col. 1.
Δευτερονόμιον fol 103. pag. 1. col. 1.
Ἰησῦς Ναυῆ fol. 125. pag. 1. col. 1.
Κριταὶ fol. 141. pag. 2. col. 1.
Ῥὺθ fol. 158. pag. 2 col. 1.
Ὁ μὲ βιβλία γ.
Βασιλειῶν α. fol. 161. pag. 1. col. 1.
Βασιλειῶν β. fol. 182. pag. 1. col. 2.
Βασιλειῶν γ. fol. 199. pag. 1. col. 1.
Βασιλειῶν δ. fol. 222. pag. 1. col. 1.
Παραλειπομένων α. fol. 241. pag. 1. col. 1.

Παρ-

Παραλειπομένων β. fol. 256. pag. 2. col. 1.
Ὁμοῦ βιβλία ε.
Προφῆται ιε.
Ὡσηὲ α. fol. 277. pag. 1. col. 1.
Ἀμὼς β. fol. 281. pag. 2. col. 1.
Μιχαίας γ. fol. 285. pag. 1. col. 1.
Ἰωὴλ δ. fol. 287 pag. 1. col. 1.
Ἀβδείας ε. fol. 288. pag. 1. col. 2.
Ἰωνᾶς ς. fol. 289. pag. 2. col. 2.
Ναοὺμ ζ. fol. 290. pag. 2. col. 2. in medio.
Ἀμβακοὺμ η. fol. 292. pag. 1. col. 1.
Σοφονίας θ. fol. 293. pag. 1. col. 2.
Ἀγγαῖος ι. fol. 294. pag. 2. col. 1.
Ζαχαρίας ια. fol. 295. pag. 2. col. 1.
Μαλαχίας ιβ. fol. 300. pag. 2. col. 2.
Ἡσαΐας ιγ. fol. 302. pag. 1. col. 2.
Ἱερεμίας ιδ. fol. 331. pag. 1. col. 1.
Ἰεζεκιὴλ ιε. fol. 370. pag. 1. col. 1.
Δανιὴλ ις. fol. 403. pag. 1. col. 1.
Ἔσθηρ fol. 418. pag. 1. col. 1.
Τοβὶτ fol. 424. pag. 1. col. 1.
Ἰουδὶθ fol. 429. pag. 1. col. 2.
Ἔσδρας α. ἱερεὺς fol. 438. pag. 1. col. 1.
Ἔσδρας β. ἱερεὺς fol. 447. pag. 2. col. 2.
Μακκαβαίων λόγος α. fol. 470. pag. 1. col. 1.
Μακκαβαίων λόγος β. fol. 491. pag. 2. col. 2.
Μακκαβαίων γ. fol. 506. pag. 2. col. 2.
Μακκαβαίων δ. fol. 513. pag. 1. col. 2.
Ψαλτήριον μετ' ὠδῶν fol. 533. pag. 1. col. 1.
Ἰὼβ fol. 570. pag. 1. col. 1.
Παροιμίαι fol. 585. pag. 2. col. 2.
Ἐκκλησιαστὴς fol. 599. pag. 1. col. 2.
Ἄσματα ἀσμάτων fol. 604. pag. 1. col. 2.
Σοφία ἡ πανάρετος fol. 607. pag. 1. col. 1.
Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιρὰχ fol. 616. pag. 2. col. 1.

Ἡ καινὴ διαθήκη. Εὐαγγέλια δ.
Κατὰ Ματθαῖον fol. 26. pag. 1. col. 1.
Κατὰ Μάρκον fol. 30. pag. 1. col. 1.
Κατὰ Λουκᾶν fol. 44. pag. 1. col. 1.
Κατὰ Ἰωάννην fol. 66. pag. 1. col. 2.
Πράξεις Ἀποστόλων fol. 82. pag. 1. col. 1.
Καθολικαὶ ζ. fol. 102. pag. 1. col. 2.
Ἐπιστολαὶ Παύλου ιδ. fol. 112. pag. 1. col. 1.
Ἀποκάλυψις Ἰωάννου fol. 150. pag. 1. col. 1.
Κλήμεντος Ἐπιστολὴ α. fol. 159. pag. 1. col. 1.
Κλήμεντος Ἐπιστολὴ β. fol. 166. pag. 1. col. 2.
Ὁμοῦ βιβλία. . . . .
Ψαλμοὶ Σολομῶντος ιη.

Omitto Grabii paragraphum tertium, ut nihil facientem ad Manuscripti Codicis Alexandrini notitiam, venturus ad quartum, in quo convasat quidquid potest, ad faciendam ipsi fidem, & hic integrum, licet prolixum satis, repetam.

§. 4. Traditionem quod attinet à Cyrillo Lucari memoratam, *Alexandrinus Codex* noster *manu Theclæ nobilis fæminæ Ægyptiæ ante mille & trecentos circiter annos paulo post Concilium Nicænum* scriptus fuisse dicitur. De ea quoque in aversa facie præfixi folii, cujus adversa pars modo recensitum Sacrorum Librorum Indicem exhibet, hæc Arabica verba recentiori manu exarata leguntur &c. id est, *Memorant hunc librum scriptum fuisse calamo Theclæ Martyris.* Unde Waltonus Prolegom. IX. Bibliorum Polyglottorum §. 34. ambigit, utrum à *Thecla Martyre*, in cujus laudem extat Oratio S. Chrysostomi Tomo 1. editionis Paris. Græco-Latinæ 1609. fol. 883. scriptus sit Codex: an verò ita dicatur, quod ad Monasterium aliquod S. Theclæ nomini ac memoriæ dedicatum pertinuerit. Atqui prius est prorsus absurdum, quippe *Thecla Martyr*, ut de

„ pa-

patria ejus nihil dicam, non post Concilium Nicænum vixit, sed ipso S. Pauli Apostoli ævo, atque ante editos ipsos Novi Testamenti libros, martyrium prima omnium Christianarum fœminarum subiit, inde πρωτομάρτυς dicta, non modò in titulo Apocryphorum ejus Actorum, quæ Tomo 1. Spicilegii Patrum sæculi 1. pag. 95. edidi, ac à Niceta, quem in Notis ad pag. 95. allegavi, sed à Chrysostomo loco citato, & Isidoro Peluſiota libro 1. Epist. 160. Alia igitur *Thecla* fuerit necesse est, quæ hunc Codicem exaraverit, si vera sit ista traditio. Atque eam sane inveniſſe mihi videor apud *Gregorium Nazianzenum*, qui circa Concilii Nicæni tempora natus, provectâ jam ætate, *Theclæ* cuidam familiaris, tres ad eam Epistolas dedit, Num. 200. 201. 202. Tomo 1. Operum ejus pag. 897. & seqq. in quibus quæ scribit, huic traditioni non repugnant, imò bene conveniunt. Nimirum hæc *Thecla* ἡ δὲ Θεοῦ δέλη καὶ ἀπαρχὴ τῶν καλῶν, *Dei ancilla & virtutum primitiæ*, ut Epist. 202. eam appellat, Monasticam duxit vitam; ἐπαινετὸν ἐρημίαν καὶ τὸ φιλόσοφον ἰδιαιτᾶν, *laude dignam solitudinem ac Philoſophicum seceſſum*: quod vitæ genus Epistola 201. in illa commendat, continuo addens, ὅτι πάντων χωρισθεῖσα τῶν ἐν κόσμῳ τερπνῶν, Θεῷ μόνῳ συνέλεξας ἑαυτὴν καὶ τοῖς ἁγίοις μάρτυσιν, οἷς παρῴκεις, καὶ προσήγαγες τῷ Θεῷ, καὶ προσάγεις τὰ ἀγαπητῶν σοὶ τέκνων θυσίαν ζῶσαν εὐάρεστον. *Quia ab omnibus mundi voluptatibus ſeparata, cum ſolo Deo & ſanctis Martyribus, apud quos habitas, temet ipſam concluſiſti, ac vitam bene placentem hoſtiam dilectorum liberorum tuorum Deo obtuliſti & etiamnum offers.* Per ἀγαπητὰ τέκνα, neſcio an liberi propriè ex ea nati intelligendi ſint, ſiquidem illam alibi κόρην appellat, ac alter quoque Gregorius παναγῆ titulum ei tribuit, uti mox videbimus &c. Ex quibus patet, Gregorium Nazianzenum *Theclæ* istî ac ſociis ejus aliquandiu con-

vixiſſe.

vixisse. Atqui si vitam *Gregorii Nazianzeni* à Gregorio Presbytero scriptam inspiciamus, id omnino verum conspiciemus, ac locum quoque hujus Monasterii *Theclæ* inveniemus, nempe *Seleuciam*; quo post mortem *patris Gregorii Nazianzeni Episcopi*, cui *Gregorius filius* in isto munere aliquamdiu coadjutorem se præbuerit, postque fata matris Nonnæ juniorem Gregorium successisse narrat, ut successionem in Episcopatu effugeret. Τῆς ἐκκλησίας ἐπανεχώρησε, καὶ καταλαβὼν Σελεύκειαν τῇ παρθενῶνι τῇ παναγνῇ ἐνδιαιτᾶται, καιρὸν ἐνδιδὺς ἐπίσκοπόν τινα καταστῆναι Ναζιάνζῳ. *Ex Ecclesia se proripuit, Seleuciamque profectus, in virgineo castissimæ Theclæ cœnobio commoratus est, ut interea temporis Episcopus quidam Nazianzi constitueretur.* Imò ipse *Gregorius Nazianzenus junior* in Carmine de vita sua hac de re ita canit:

Πρῶτον μὲν ἦλθον εἰς Σελεύκειαν φυγὰς,
Τὸν παρθενῶνα τῆς ἀοιδίμου κόρης
Θέκλας, ταχὺ ἂν πεισθεῖεν. ἀλλ' ἔτω λέγων,
Χρόνῳ καμόντες ἡνίας δῶναι τινί.
Καί μοι διῆλθεν οὐ βραχὺς τῇδε χρόνος.
Primum fuga me confero Seleuciam,
Ubi virgo Thecla fanum habet celebre admodum.
Sic forte dicens, temporis fessi morâ
Tradent habenas cuipiam. Hoc sperans fore,
Illic peregi tempus haud sane breve.

Ecce πολλὴν συνήθειαν, *diuturnam consuetudinem* sive *conversationem*, quæ contigit inter annum Christi 372. & 378, quo Valente Imperatore fatis functo vel paulo post, Constantinopolin Gregorius missus est, ut Ecclesiam ibi ab Arianis hucusque vexatam ac fere oppressam restauraret. Atque inde forte vel paulo post, relictâ Constantinopolitanâ, ad quam anno 383. electus erat, sede, in secessu literas istas ad Theclam scripsit, haud diu ante obitum, qui in annum ejus 67, juxta cal-

calculum doctissimi viri ac honoratissimi fautoris mei Domini *Cavii*, incidit. Siquidem Epistola 201. in fine *canitiem suam* memorat, & Epistola 202. ἀσθενοῦντος σώματος *infirmi corporis* mentionem facit.

§. 5. Huic igitur *Theclæ* ejusque in vita Monastica sociis vel sociabus Codicem nostrum attribuere, nihil vetat. Imò non solum hoc suadet, quod haud alterius *Theclæ* cujuspiam, Concilio Nicæno recentioris, ulla in Historiæ Ecclesiasticæ ac priscorum Patrum monumentis mentio occurrat, sed & ratio temporis id omnino persuadere videtur. Quippe claruit illa, uti modò vidimus, haud diu post Concilium Nicænum primum, ad finem videlicet vergentis sæculi post Christum natum quarti. Quo ipso tempore sacrum hunc Bibliorum Codicem scriptum fuisse, memorata à Cyrillo Lucari traditio itidem perhibet, sicque adeo bene secum convenit, ut hoc ipso fidem aliquam mereatur. Cùm autem objici possit, forte fortunâ accidisse, ut utrumque confictæ istius traditionis membrum ita aptè sibi respondeat, ac quasi coincidat: nec tamen constare, quod ad dictum præcisè ævum membranæ nostræ, licet satis antiquæ, pertineant. Hinc certius argumentum addimus, quo si non demonstratur, (vix enim ullus certarum ἀποδείξεων in rebus istiusmodi tam longè ab ætate nostra remotis est locus) saltem verosimillima ostenditur, assignata Codici nostro alia. Equidem hunc Concilio Nicæno haud antiquiorem esse, S. *Athanasii* ad Marcellinum Epistola Psalmis præfixa unà cum *Eusebii* Hypothesibus Psalmorum planè evincit; ut & Capitula S. Evangeliorum, horumque minutior distinctio in στίχους secundum Canones *Eusebianos* in margine adscripta. Quod verò haud diu post Concilium Nicænum, hic *Theclæ*, ideoque sæculi IV. decurrente ætate, exaratus fuerit Codex noster, ex eo colligo, quod nulla prorsus Epistolarum Paulinarum divisio in

κεφάλαια ac ſectiones ibi appareat, procul dubio his perinde ut Evangeliis apponenda, ſi talis aliqua extitiſſet. Atqui jam anno Chriſti 396. Arcadio IV. & Honorio III. Coſſ. quempiam Sacræ Scripturæ peritum ac pium Virum, cujus nomen nos fugit, Epiſtolarum Pauli in Capitula diſtinctionem, ac ſingulorum Capitulorum ſummas atque titulos confeciſſe, conſtat ex *Euſtathii* Præfatione in dictas Epiſtolas, anno Chriſti 462. ſcripta, ac Narratione laudati Anonymi de Martyrio Pauli, eidem ſuffixâ &c.

§. 6. Neque de hac Codicis noſtri ætate multum dubitabit, qui ejus deſcriptionem modo dandam ac Characterum ſpecimen bene conſideraverit. Eſt is in folio, uti vulgo dicitur, ſcriptus atramento in membrana, niſi quod ab initio Librorum, priores quatuor vel quinque lineæ minio exaratæ ſint, ut & primordia ſive Inſcriptiones *Viſionum* in Prophetiis, atque tituli Pſalmorum. Singulæ paginæ duas exhibent columnas, quarum quælibet quinquaginta vel paulo paucioribus pluribuſve conſtat lineis, hiſque medii digiti longitudinem æquantibus. Sunt autem columnæ intermedio ſpatio diſtinctæ, ac tam interiori quam exteriori margine cinctæ. Literæ ſunt unciales rotundæ, ubique ejuſdem fere formæ & magnitudinis, præterquam quod in fine lineæ ſæpius ſint minores, ac in anguſtius ſpatium contractæ. Contrà verò poſt interſtitium quinque vel ſex vel plurium, duodecim, quindecimve linearum, novam inchoet major litera, ſæpiſſime quidem in fine periodi, aliquando tamen in medio ſententiæ, imò quod magis mirandum, in medio vocis cujuſdam: E. G. *Numerorum* cap. 3. v. 49. ubi Μω lineam claudit, Υσῶς autem novam incipit. Semper autem majuſculum iſtud elementum tramitem columnæ excedit, &c. Et ibidem: Cæterum ut quæ hucuſque de literis, vocibus, lineis, ſectionibus *Alexandrini*

drini Codicis dixi, eo clarius perspiciat Lector harum rerum curiosus, eidem ob oculos pono incisam æri, eâ qua fieri potuit accuratione, periçopen, omnia Alphabeti elementa comprehendentem, ex Exodi cap. 9. vers. 30. usque ad medium versus 33.

ΚΑΙΣΥΚΑΙΟΙΘΕΡΑΠΟΝΤΕΣΣΟΥ
ΕΠΙΣΤΑΜΑΙΟΤΙΟΥΔΕΠΩΠΕΦΟ
ΒΗΣΘΑΙΤΟΝΚΥΝΟΔΕΛΙΝΟΝΚΑΙ
ΗΚΡΙΘΗΕΠΛΗΓΗΓΑΡΚΡΙΘΗΠΑΡ
ΕΣΤΗΚΥΡΙΑΚΑΙΤΟΛΙΝΟΝΣΠΕΡΜΑ
ΤΙΖΟΝΟΔΕΠΥΡΟΣΚΑΙΗΟΛΥΡΑΟΥΚ
ΕΠΛΗΓΗΟΥΙΜΑΓΑΡΗΝ,
ΕΞΗΛΘΕΝΔΕΜΩΥΣΗΣΑΠΟΦΑΡΑΩ
ΕΚΤΟΣΤΗΣΠΟΛΕΩΣΚΑΙΕΞΕΠΕΤΑ
ΣΕΝΤΑΣΧΕΙΡΑΣΑΥΤΟΥΠΡΟΣΚΥΝΑΣ

Quæ ita Grabius litera Græca vulgari cap. 3. vers. 30. Exodi refert, usque ad medium versus 33.

Καὶ σὺ καὶ οἱ θεράποντές σε, ἐπίσαμαι ὅτι οὐδέπω πεφοβῆσθε τὸν Κύριον. 31. Τὸ δὲ λίνον καὶ ἡ κριθὴ ἐπλήγη, ἡ γὰρ κριθὴ παρεσκευάσατο, καὶ τὸ λίνον σπερμάτιζον. 32. ὁ δὲ πυρὸς καὶ ἡ ὀλύρα οὐκ ἐπλήγη, ὄψιμα γάρ ἦν. 33. ἐξῆλθεν δὲ Μωυσῆς ἀπὸ Φαραὼ ἐκτὸς τῆς πόλεως, καὶ ἐξεπέτασεν τὰς χεῖρας αὐτοῦ πρὸς Κύριον, καὶ &c.

CAPUT SECUNDUM.

Ex Tomo ultimo Grabii, qui ita inscribitur, Septuaginta Interpretum Tomus ultimus, continens Psalmorum, Jobi ac trea Salomonis libros, cum Apocrypha ejusdem nec non Siracidæ Sapientia, quos ex antiquissimo MS. Codice Alexandrino accuratè descriptos, summâ curâ edidit Joannes Ernestus Gra-

Grabe S. T. P. Oxonii è Theatro Scheldoniano, ſumptibus Henrici Clementis, Anno Chriſti MDCCIX. *Prolegomenorum caput I.* Quo Notitiâ Codicis Alexandrini præſertim quoad hunc Tomum traditur.

„§. 3. Pſalmis Davidis in ſpecie quod attinet hiſce va-
„ria in Codice noſtro præfixa extant. Et pri-
„ mo quidem Sancti Athanaſii Epiſtola ad Marcellinum,
„ quæ inſignem Pſalterii excellentiam atque ſingula-
„ rem Pſalmorum variis in caſibus uſum demonſtravit.
„ Atque hanc ipſe Sanctus Athanaſius προέταξεν ἐν τῇ
„ βίβλῳ τῶν ψαλμῶν τῆς ἑρμηνείας, *interpretationi Pſalmo-*
„ *rum præpoſuit*: ut à Synodo Nicæna II. Tomo
„ VII. Conciliorum Labbei Act. VI. col. 540. me-
„ moriæ proditum eſt. Aſt ſive vera, ſive falſa ſit tra-
„ ditio iſta, ipſius tamen Sancti Patris ævo vel paulo
„ poſt, Librariis ſolenne fuiſſe, ut laudatam Epiſto-
„ lam ipſi Pſalmorum libro veluti εἰσαγωγὴν aut Pro-
„ dromum præmitterent, Alexandrini Codicis exem-
„ plum oſtendit. Cæterum licet in pluribus S. Atha-
„ naſii editionibus ac in poſtrema celeberrimi Mont-
„ fauconi omnium optima Tomo I. parte 2. pag. 982.
„ ad 1003. iſte ad *Marcellinum* libellus Græcè & Lati-
„ nè ſit excuſus; eum tamen ex antiquiſſimis ac Sancto
„ Patri coævis fere membranis noſtris, haud parum cor-
„ rectiorem ac pleniorem, ut conferenti patebit, hìc
„ denuo edere placuit, abſque Latina tamen verſio-
„ ne &c.

§. 5. Poſt hæc in MS. Alexandrino col. 2. pag. 2.
„ poſtremi ex duobus antè memoratis foliis extant κά-
„ νονες diurni & nocturni Pſalmorum, itemque matu-
„ tini & veſpertini, quibus docetur, quinam Pſalmi
„ ſint orandi mane ac ſingulis diei horis, quinam item

„ veſpe-

„ vesperi, ubi lumina accenduntur, ac quacunque
„ noctis hora. Quamvis autem quidam numeri vetu-
„ state ita sint exesi, ut eos ægrè admodum perspicere
„ liceat, illos tamen, prout adhibita omni diligentia
„ assecutus sum, hic expressos dabo.

Κανόνες ἡμερινοὶ τ̃ ψαλμῶν

Ὀρθρινοὶ γ. ξϛ. ρμ ρμα.
ὡρ α ψαλμὸς η.
ὡρ β ψαλμὸς κθ.
ὡρ γ ψαλμὸς α.
ὡρ δ ψαλμὸς μα.
ὡρ ε ψαλμὸς ς.
ὡρ ς ψαλμὸς ο.
ὡρ ζ ψαλμὸς ξθ
ὡρ η ψαλμὸς πδ
ὡρ θ ψαλμὸς ρ ι ω.
ὡρ ι ψαλμὸς ρμ.
ὡρ ια ψαλμὸς ρη.
ὡρ ιβ. ψαλμὸς ρκ

Κανόνες νυκτερινοὶ τ̃ ψαλμῶν

Λυχνικοὶ γ. ρκθ. ρμ. ιβ.
ὡρ α ψαλμὸς οδ.
ὡρ β ψαλμὸς κθ.
ὡρ γ ψαλμὸς νδ.
ὡρ δ ψαλμὸς ς.
ὡρ ε ψαλμὸς δ.
ὡρ ς ψαλμὸς μ.
ὡρ ζ ψαλμὸς να.
ὡρ η ψαλμὸς π.
ὡρ θ ψαλμὸς πζ.
ὡρ ι ψαλμὸς πε.
ὡρ ια ψαλμὸς κα.
ὡρ ιβ ψαλμὸς νς.

CAPUT TERTIUM.

Quid censeat Lambertus Bos de Codice MS. Alexandrino.

QUibus annis Joannes Ernestus Grabe, natione Borussus, patria Regiomontanus, Codici MS. Alexandrino ex Bibliotheca Bodlejana descripto, publicis typis evulgando Oxonii incumbebat: iisdem ab Anno MDCCII. & sequentibus insudabat Lambertus Bos, natione Gallus, patria Nemausensis, & Ecclesiæ Gallicæ quæ Franekeræ collecta est, Pastor seu Minister, itemque Linguæ Græcæ in Academia Franekerana Professor, editioni novæ *Veteris Testamenti libr orum ex Versione Septuaginta Interpretum, secundùm Exemplar Romanum seu Vaticanum Romæ editum, accuratissimè denuò recognitæ.* 17°. Opus post quinquennium laboris, ut testatur novus editor in titulo Prolegomenorum, editum Græcè cum Scholiis ac multis lectionibus variantibus ad paginas singulas summâ curâ subjectis, quod duobus in 4 voluminibus Franekeræ excudit Franciscus Halma illustrium Frisiæ Ordinum atque Academiæ eorundem Typographus Ordinarius Anno MDCCIX. Erudita Prolegomena præfixit. Operi distincta tribus capitibus, quorum *primum* de Versione Græca LXX. Interpretum ejusdemque utilitate: *secundum* de Codicibus Vaticano & Alexandrino, nec non de variis lectionibus, aliisque nonnullis, quæ Editioni huic addita sunt: *Tertium* de Emendationibus & Animadversionibus ad quædam Græcæ hujus Translationis loca factis ab illo. Caput itaque II. *Prolegomenorum* istorum ita inscribitur, *De præcipuis LXX. Interpretum Editionibus: De Codice Romano ejusque præstantia, item De Codice Alexandrino: Variantes Lectionis cum aliis quæ in hac Editione conspiciuntur.*

Lambertus igitur Boſſus hoc capite 2. *Prolegomenorum* latiſſimè de præcipuis omnibus Septuaginta Interpretum Editionibus, quæ ab Anno MDXV. ad noſtram uſque ætatem emerſerunt in lucem publicam, ex relatione Joannis Alberti Fabricii, qui de hoc argumento diffuſè admodum lib. III. *Bibliothecæ Græcæ* cap. 2. pag. 325. & ſeqq. Tum de Codice MS. Romano ejuſque præſtantia cum Manuſcriptis aliis Codicibus illi adjunctis in Editione prima Complutenſi à Franciſco Ximenio Cardinali procurata: quem quantum Erneſtus Grabius depreſſit, ut Codicem MS. Alexandrinum efferret, fabulaſque de illo à Græcis atque ab Anglis factas aſſereret: tantum è contra Lambertus Boſſius præſtantiam illius tum ob characterem antiquitatis, tum ob correctionem & cum locis ab antiquis Patribus citatis & collatis conſonantiam, Orbis literarii citra controverſiam præſtantiſſimum & vetuſtiſſimum collaudat, ab Eruditis omnibus, imberbe Grabio excepto, qui talem nuſquam viderat, approbatum & laudibus commendatum, ut à Flaminio Nobilio, Andrea Maſio, Joanne Morino, aliiſque primi ordinis Eruditis, qui Grabio juveni facilè Magiſtri in hoc ſtudii genere extitiſſent. In tantum autem hoc argumentum de *Romani MS. Codicis præſtantia* urget heic Boſſius noſter, ut paginas quinque integras characteris parvi impleat in Prolegomenis, quas iſtuc transferre, nec inſtituto noſtro convenit, nec Lectori conveniens aut jucundum ob prolixitatem fieret. Sic autem contra Grabium concludit: *Textum igitur B. L. heic tibi exhibeo purum Codicis Vaticani juxta editionem Romanam accuratum & à mendis repurgatum, ſervato eodem ordine capitum ac Pſalmorum, ſervatis itidem tranſpoſitionibus, quæ apud Jeremiam atque alibi occurrebant. Unum tantùm monere volui ac debui, ſecundùm id quod apud nos receptum eſt: Libros ſcilicet quos vocant Apocryphos, ad calcem librorum Canonicorum reduxi. Quare vellem utique doctiſ-*

simum Grabium, judicium suum de nostra Editione suspendisse tantisper dum eam vidisset, nec malè adeo de ea opinatum fuisse. Hæc Bossus homo doctissimus scripsit de præsumptione & præoccupatione Grabii.

Jam quid de Codice MS. Alexandrino cap. 2. *Prolegomenorum* censeat Bossus, ex verbis ejus videamus: quibus illum Vaticano inferiorem esse longè, tam ob antiquitatem, quàm correctionem, pronuntiat eruditè. „ Cæterum ne quid in hac nova nostra editione desideraretur, visum fuit singulis paginis subjicere Scholia „ Romanæ editionis, & præter illa omnes variantes „ lectiones, quotquot conquirere potuerimus. Excerpsimus enim è Polyglottis Anglicanis cunctis, quas in isto „ Opere exhibuerat vir eruditissimus & diligentissimus „ Brianus Waltonus. Has omnes inter, familiam ducunt eæ quæ de Codice Alexandrino vetustissimo sanè ac nobilissimo depromptæ sunt: quem Codicem „ Alexandriâ Constantinopolim attulit Cyrillus Patriarcha, & Carolo I. Regi Angliæ per ejusdem apud „ Turcarum Imperatorem Legatum dono dedit. Exaratus is est in membrana characteribus majoribus & antiquis, sine verborum distinctione, sine accentuum atque „ spirituum notis, quæ antiquitatis documenta sunt. Descriptum ferunt Alexandriæ per fœminam quandam „ nobilem, cui Thecla nomen. Sic habet nota in illo Codice apposita. Verùm existimat clar. Hodius pag. 638. „ Codicem olim ad quoddam Monasterium S. Theclæ „ nomini dicatum pertinuisse, atque ea de causa Theclæ „ nomen ei fuisse inscriptum. Non verò per omnia hic „ Codex integer est, ita ut nullibi sit mutilus: desunt „ enim in eo omnia à Psalmo XLIX. vers. 20. ad „ Psalmum LXXIX. vers. 12. Hunc inter & Vaticanum Codicem magnus reperitur consensus, licèt „ aliquando differant, & quidem præcipuè in Libris „ *Josuæ, Judicum*, III. *Regum & Jobi.* Observavi

in

„ in hoc Codice nonnulla esse, quæ Ionicam redolent „ dialectum, ut τέσσερες & τεσσεράκοντα ubique, pro „ τέσσαρες, τεσσαράκοντα: μαχαίρης pro μαχαίρας Jere- „ miæ 32. 16. λήμψομαι, λημφθεὶς, ἐλήμφθησαν pas- „ sim, pro λήψομαι, ληφθεὶς, ἐλήφθησαν, cujusmodi „ apud Homerum invenias. Animadverti in eodem „ peculiarem quoque scribendi modum, ut ε pro αι, „ ει pro ι, ι pro η, & ι pro ει &c.

„ Ortam esse maximè hanc scripturæ diversitatem „ conjicio ex pronuntiatione dictantis & imperitiâ scri- „ bentis. Non enim Scriba ille Alexandrinus, sive vir „ fuerit, sive fœmina, ipse suis oculis exemplar, ex quo „ descripsit, inspexisse mihi quidem videtur, sed vel „ ex ore dictantis alicujus excepisse. Magna enim o- „ lim pronuntiationis erat affinitas inter ε & ι, η & ε, „ η & ει, ε & αι, οι & υ, αυ & ω: quemadmodum à „ viris doctis jam pridem ostensum fuit. Nec satis in „ scribendis Græcis exercitatus fuisse videtur ille Scri- „ ba, utpote qui scripserit voces eodem modo quo „ pronuntiabantur: quod facere non consueverunt Scri- „ bæ periti, nunquam enim aliquis paulò peritior δεικ- „ νύω pro δείκνυω scripsit, licèt ita pronuntiaverit, nun- „ quam Ἀλφέννες pro Ἀλφαίους, neque κοίησις, pro „ κύησις, neque σοὶ pro σὺ, & quæ similia sunt.

„ Codicis hujus MS. Alexandrini, de quo loquor, „ partem, hoc est, *Octateuchum*, jam in lucem edidit „ Oxonii Vir eruditissimus de re litteraria præclarè „ meritus, Ernestus Grabius, quem vidi similia in eo „ observasse & adnotasse. Verùm in editione sua se „ hunc scribendi morem immutasse dicit Ernestus Gra- „ bius: ubi scriptum erat λημφθεὶς λημφθήσομαι, quæ „ constans est ejus Codicis scriptura, reposuit ληφθεὶς, „ ληφθήσομαι: ubi τέσσερες reposuit τέσσαρες: quali meo „ quidem judicio servanda fuissent, quia pro loquen- „ di proprietate potiùs quàm scribendi vitio habenda

„ ſunt. Animadverti tamen, non ſemper eum hanc
„ mutationem feciſſe, ſed multis in locis antiquam re-
„ tinuiſſe ſcripturam, eamque ſubinde vitioſam. Exem-
„ pli gratiâ Gen. V. 3. εἰδέαν pro ἰδέαν. XVI. 13.
„ ἐφιδὼν pro ἐπιδὼν. XXI. 26. ἀλλὰ pro ἀλλ' ἡ. XLIII.
„ 11. μαρζίποις pro μαρσίπποις. XLV. 1. παεισήκει
„ pro παρεισήκει. XLVII. 9. ἀφεικονῖο pro ἀφίκοντο.
„ XLIX. 21. γενήματι pro γεννήματι. Exodi XIII. 3.
„ ἐξήλθατε pro ἐξήλθετε. XXII. 31. ἀπορίψετε pro ἀ-
„ πορρίψετε. Levitic. XIII. 38. & 39. λευκαθίζοντα
„ pro λευανθίζοντα, verſ. 49. πυρίζουσα pro πυρρίζουσα.
„ XIV. 7. περιεραντῶ pro περιῤῥαντῶ. &c. Hæc ſunt præ-
„ cipua, quæ adnotari digna videbantur; reliqua, quæ
„ minoris momenti ſunt, prætermitto.

„ Eſt iſte Codex Alexandrinus, uti clar. Grabius alii-
„ que qui eo uſi ſunt teſtantur, ſæpe lectu difficilis,
„ ita ut cognoſci aliquando nequeant litteræ exeſæ vel
„ deletæ, pro quibus Huiſſius puncta reponere con-
„ ſuevit. Sed Cl. Grabius feliciter loca illa vacua vel
„ ex ingenio, vel ex aliis Codicibus ſupplevit. Plurima
„ etiam in eodem Codice mendoſa ſunt, quorum quæ
„ in Octateucho occurrebant, jam adnotavit eruditiſſi-
„ mus Grabius atque emendavit. Veniam tamen mihi
„ dabit Vir clariſſimus, ſi de vocis unius alteriuſve ſup-
„ pletione aut mutatione, in qua mihi ſcrupulus aliquis
„ eſt, meam proponam conjecturam. Exodi XV. 18.
„ &c. Sic tandem pagina averſa, quæ de Codice MS.
„ Alexandrino Boſſius concludit.

„ Non tamen diffiteor, quædam eſſe in Codice A-
„ lexandrino, quæ Romano præferenda ſunt: quare
„ optimè factum quod *Vaticano textui*, præter alias
„ varias lectiones, primo loco ſubjecerimus Codicis
„ Alexandrini variantes lectiones, quas magna cum
„ cura & diligentia ex eo Exemplari excerpſerat doctiſ-
„ ſimus Huiſſius, & in Polyglottis deſcripſerat ad

tex-

„ textum Vaticanum. Mirum prorsus non est, si in O-
„ pere tam vasto pauca quædam fugerint Virum licèt
„ diligentissimum, uti jam in Præfatione sua monuit
„ doctissimus Grabius: sed ea sunt minoris momenti,
„ quæ ad calcem libri ponemus.

Ita quidem statuerat primùm doctissimus Lambertus Bossus, qui mutatâ sententiâ ad calcem Præfationis tribus foliis integris adjecit ac præmisit, quæ ad calcem libri reservanda statuerat, sub hoc titulo: „Sub-
„ texere heic potiùs, quàm ad calcem Operis, ut ini-
„ tio constitueramus, visum fuit loca, in quibus Bi-
„ blia Polyglotta minùs rectè exhibuisse *Lectionem Alexandrinam* monuit clarissimus Grabius, in Præfa-
„ tione Octateuchi cap. 11. quæ ita ex MS. correxit:
„ Geneseos &c. Hæc doctissimus Vir Lambertus Bossus de Codice MS. Alexandrino in Prolegomenis Editionis novæ Scripturarum Veteris Testamenti juxta Versionem Septuaginta Interpretum, quam per quinquennium summis curis adornavit, & quæ, juxta virorum eruditorum judicium, est perfectissima & utilissima omnium editionum, quæ unquam emersisse de eodem argumento legantur. Unde perfectioni hujus Operis ac correctioni & eruditioni nixus Frisius Bibliopola, ingentem Exemplarium multitudinem è prælo eduxisse dicitur, ad millia usque quatuor, quæ cum applausu ab Eruditis comparantur. Cum autem de Codice MS. Alexandrino tantùm in Dissertatione ista agere mihi propositum fuerit, hinc fit ut sileam de aliis ad Versionem Septuaginta Interpretum Alexandrinorum Judæorum, de quibus doctissimè loquitur laudatus Lambertus Bos cap. 1. *Prolegomenorum* ad Editionem suam, singula ad eam spectantia ex Scriptoribus melioris notæ ac judicii discutiens, ac relinquens nihil alicujus momenti, quod ad illam spectare possit. Mittimus porro hæc omnia, ut ad Codicem MS. Alexandrinum revertamur.

CAPUT QUARTUM.

Quid cenſuerint Angli doctiſſimi de Codice MS. Alexandrino, refertur, & hunc Codicem MS. ſæculo IV. ſcriptum non fuiſſe, ut Grabius affirmat.

ANglorum primus qui nobis de Codice MS. Alexandrino in Bibliothecam publicam Oxonienſem à paucis vel annis vel menſibus, tempore Caroli I. Angliæ Regis, cui miſſus fuerat, illato loquutus eſt: Patricius is Junius Caroli ejuſdem Bibliothecarius, in Præfatione ad Catenam Nicetæ Heracleenſis Archiepiſcopi in Jobum, quam ex duobus MS. Codicibus Bibliothecæ Bodlejanæ ejuſdem Anno 1637. edendam curavit Londini Græcè & Latinè in folio ex Typographio Regio; ſubjunxit enim ad calcem Catenæ hujus Nicetæ Metropolitæ Heracleenſis, Græcum textum Jobi στιχηρῶς, ex Codice hoc MS. Alexandrino, qui non ita pridem in Bibliothecam illatus fuerat, de quo in Præfatione ad Lectorem his loquitur.

„ Placuit etiam ex antiquiſſimo & ab omni aliarum
„ Verſionum mixtura defæcatiſſimo Regiæ Bibliothe-
„ cæ MS. Codice, textum Jobi ad calcem Operis,
„ mantiſſæ loco, ſubjungere, tibique ad excitandam
„ orexim tanquam levem deguſtationem apponere,
„ quam ſi palato tuo ſapere, & ſtomacho ſine ullo faſtidio placere intellexerimus, poſtea non ſubitâ aliquâ
„ ſportulâ, ſed pleniore & magis opiparâ cœnâ appetitum tuum ſedare, ac famem integram explere co-
„ nabimur. Scriptus eſt autem liber, ne ſis neſcius, literis grandioribus in vetuſtiſſimis membranis, ſine

„ ul-

„ ulla capitum aut vocum distinctione, quod antiquitatis summæ indicium est, nisi quod in στίχοις (quales sunt, præter quinque Canonicos, Sapientiæ Salomonis & Siracidis libri) στίχοις seu versibus, in reliquis verò paragraphis & sectionibus utatur, & „ puncta interdum in superiore parte lineæ, sed rariora adhibeat. Sive autem is Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ, quæ circa Concilii Nicæni tempora floruit, ut author est Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus, qui ex Ægypto secum advexit, „ dum sedem Alexandrinam relinqueret, & dono ad „ Serenissimum Regem nostrum transmisit, sive alterius Librarii manu exaratus fuerit, modò de puritate „ & præstantiâ ejus constet, non multum contendimus. *Et ad calcem Operis*; Textus Jobi στιχηροῖς juxta veram & germanam Septuaginta Seniorum interpretationem, ex venerando Bibliothecæ „ Regiæ MS. Codice & totius Orbis antiquissimo ac „ præstantissimo. Londini ex Typographio Regio MDCXXXVII.

Hæc Patricius Junius Caroli I. Angliæ Regis Bibliothecarius; ad quem Codex MS. Alexandriâ missus est, licèt annum præcisè, quo id factum, non annotaverit. Errat tamen Vir eruditus enormiter, dum Codicem hunc Alexandrinum *antiquissimum totius Orbis ac præstantissimum* ex præjudiciis appellet, quem postea suo loco demonstraturi sumus, ante sæculum Ecclesiæ decimum, conscriptum non fuisse. Prudenter autem Junius ambigit, an Codex hic MS. Alexandrinus fuerit à Thecla muliere Ægyptiaca conscriptus. Nam in Ægypto apud omnes, nulla alia Lingua in usu, quàm Ægyptiaca, sive illa Arabica esset, sive alia: paucis duntaxat inter eruditiores Viros existentibus, qui Græcam Linguam intelligerent, aut loqui possent. Nullatenus ergo verisimile est, Theclam

mulierem Ægyptiacam, Linguæ Græcæ ignaram, descripsisse Codicem hunc MS. Alexandrinum, libros omnes Veteris & Novi Testamenti Græcè continentem; utpote quæ, pro more aliarum ejusdem regionis mulierum, Linguæ Græcæ prorsus ignara esset. Fabula ergo est pura, quod Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus in fronte Codicis MS. posuit, *scriptum fuisse Codicem hunc circa tempus Nicænæ primæ Synodi*, sive circa Annum 325. *à Thecla nobili muliere Ægyptiaca.*

Brianus Waltonus Anglus quoque, è Clevelandia in Comitatu Eboracensi oriundus, Sacræ Theologiæ Doctor, Cantabrigiæ Collegii Sancti Petri, celebrem nominis famam posteritati relinquens, Biblia Polyglotta 6. in folio voluminibus, Anno Domini 1653. inchoavit, Anno 1657. absolvit, ætatis suæ 57. edita Londini Anno 1657. apud Thomam Roycroft Regiæ Majestatis in Linguis Orientalibus Typographum. Hic Vir tantus Prolegomeno IX. §. 34. pag. 66. de Codice MS. Alexandrino his verbis loquitur.

„ Restat ut de Manuscripto nostro celeberrimo & „ vetustissimo, quem *Alexandrinum* vocamus, qui à „ multis diu desideratus, in his Bibliis primùm lucem „ vidit, quædam addamus. Hunc *Alexandrinum* dici„ mus, non tam quod ex recensione Hesychii fuerit, „ à quo Exemplaria per Alexandriam & Ægyptum „ secundùm ipsius Codicem castigata emanarunt, quàm „ quod ex Alexandria primò allatus sit per Cyrillum „ Lucarem, nuper Sedis Alexandrinæ Patriarcham; „ qui cùm ad Constantinopolitanam translatus erat, „ hunc Librum tanquam magnum thesaurum secum at„ tulit, quem per Dominum Thomam Roé Equitem „ auratum, Regis nostri apud Turcarum Imperatorem „ Legatum, eidem Regi donavit. Exaratus est hic „ Liber in pergameno literis majoribus antiquis, quo„ rum specimen inter alias characterum formas dedi-

mus

„ minus ad finem Prolegom. 2. pag. 14. sine ulla capi-
„ tum, versiculorum, vel verborum distinctione, & si-
„ ne accentuum vel spirituum notis, exceptis quibusdam
„ sectionibus, quæ per spatium quoddam inter verba
„ designantur: & libris quinque, quos per στιχους olim
„ distinctos fuisse tradiderunt Veteres, scilicet Job.
„ Psalt. Proverb. Eccles. & Cantica: ut ex libro Job,
„ quem ex hoc MS. olim publicavit Patricius Junius,
„ perspicere licet. Descriptus est hic Liber Alexandriæ
„ per Theclam fœminam nobilem, cujus nomen jam
„ obliteratum ad finem libri olim inscriptum fuisse
„ testatur idem Cyrillus, cujus verba ipsius manu in-
„ hoc Libri exarata hæc sunt: *Liber iste Scripturæ sacræ*
„ *Veteris & Novi Testamenti, prout eu traditione habe-*
„ *mus, est scriptus manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ,*
„ *ante mille & trecentos annos circiter, paulo post Conci-*
„ *lium Nicænum. Nomen Theclæ in fine Libri erat exaratum,*
„ *sed extincto Christianissimo in Ægypto à Mahumetanis,*
„ *& Libri una Christianorum in similem sunt redacti con-*
„ *ditionem: extinctum ergo & Theclæ nomen & laceratum,*
„ *sed memoria & traditio recens observat.* Hæc Cyrill-
„ lus. Quænam hæc Thecla fuerit, nolo anxius in-
„ quirere. Quandam ejus nomine martyrium pro
„ Christo subisse, constat ex Oratione Chrysostomi
„ in laudem S. Theclæ: at an ab hac sancta fœmina
„ Codex hic scriptus fuerit; an ita dicatur, quia ad
„ Monasterium aliquod S. Theclæ dicatum pertine-
„ bat, non multum refert, cùm constet antiquissimum
„ esse, & Codicis Vaticani sæculum æquare saltem, si
„ non superare. Quod præter dicta, suadent etiam
„ tum scriptionis modus, characterum figura, accen-
„ tuum & spirituum absentia, tum alia quæ summam
„ vetustatem testantur: ut cum frequenter ponat αι
„ pro ε, ut παιδιον pro πεδιον, αραιςον pro αρεσον: &
„ è contra ε pro αι, ut φυλαξε pro φυλαξαι. Et cæ-

te-

„tera, quæ instituto nostro non conveniunt, ut heic „transcribantur.

Ad auxilium Anglorum eruditorum de antiquitate Codicis MS. Alexandrini Bodlejanæ Bibliothecæ laborantium, venit tandem Ernestus Grabe Borussus, qui in Angliam transfretans ac MSS. Codicibus antiquis evolvendis operam navans, Alexandrinum hunc Codicem dare publicæ luci aggressus est, sub auspiciis Guilielmi Cavi Collegii Vindesorienſis Præfecti, quem *fautorem suum* seu patronum appellat. Immensus essem, atque Lectori ingratus, si narrare vellem, quot mendacia vel fabulæ contineantur in his lineis paucis, quas Cyrillus P^a CP in titulo hujus MS. codicis inseruit, irrisione dignissimas. Sufficiat dicere summatim, fabulas omnes & mendacia, quibus Historia antiqua conspurcatur, à Græcis mendacibus confictas fuisse: atque hanc eorum indolem ne hucusque quidem cessasse, cùm vix unus ad Occidentem nostrum advenerit, qui non in omnibus mendax inventus sit. Jam videamus quam ætatem Codici MS. Alexandrino assignet, quave auctoritate, Ernestus Grabius in Prolegomenis, quem ad verbum Dissertationis hujus cap. 1. & 2. retulimus, hîc quoad substantiam contrahendum.

Ernestus Grabe igitur cap. 1. Prolegomenorum paragr. 1. refert historiam seu fabulam potiùs, quam Cyrillus Lucaris Patriarcha Constantinopolitanus præscripsit Codici MS. Alexandrino librorum Veteris & Novi Testamenti, quem Carolo I. Anglorum Regi muneris instar mittebat, ad majorem Codicis istius membranei commendationem antiquitatis inventam. Affirmat *Codicem scriptum esse ante mille & trecentos annos circiter, paulo post Concilium Nicænum, manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiacæ, cujus nomen in fine Libri exaratum erat: sed extincta in Ægypto à Mahometanis Lege Christiana, Libris Christianorum in similem conditionem redactis, extinctum fuisse*

&

& Theclæ nomen & laceratum: Paragr. 2. diſertiùs Codicis MS. ordinem, & quibus foliis & paginis libri utriuſque Teſtamenti contineantur, exponit. Paragr. 4. refellit Brianum Waltonum, qui in Prolegomenis ad *Biblia Polyglotta* Proleg. IX. paragr. 34. ambegit, *an non Codex hic Alexandrinus ſcriptus fuiſſet à S. Thecla Martyre*, quæ S. Pauli Apoſtoli diſcipula, prima fœminarum ſæculo Eccleſiæ primo martyrium paſſa fuiſſe ſcribitur, de qua *Oratio* inter Opera S. Joannis Chryſoſtomi: atque hanc Waltoni ſententiam Erneſtus Grabius *abſurditatis* notâ non immeritò taxare videtur, utpote Cyrilli ipſius Lucaris inſcriptioni contrariam, qui nunquam Codicis ſui antiquitatem imaginariam, ultra Concilium primum Nicænum Anno 325. convocatum urgere auſus fuit.

Poſt confutatam Waltoni opinionem, qui voluit Codicem MS. Alexandrinum ſæculo Eccleſiæ primo à S. Thecla Martyre S. Pauli Apoſtoli diſcipula exaratum fuiſſe: aggreditur Grabius defendendam Cyrilli Lucaris manu factam inſcriptionem his verbis: *Traditionem quod attinet à Cyrillo Lucari memoratam, qua Alexandrinus Codex noſter manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ ante mille & trecentos circiter annos, paulo poſt Concilium Nicænum, ſcriptus fuiſſe dicitur &c.* Et poſtea: *Alia igitur Thecla fuerit, neceſſe eſt, quæ hunc Codicem exaraverit, ſi vera ſit iſta traditio; atque eam ſanè inveniſſe mihi videor apud Gregorium Nazianzenum, qui circa Concilii Nicæni tempora natus &c.* Idem quoque Erneſtus confidentiâ magnâ Paragrapho 5. hæc habet.

„ §. 5. Huic igitur Theclæ, ejuſque in vita Mona-
„ ſtica ſociis vel ſociabus, Codicem noſtrum attribuere
„ nihil vetat. Imò non ſolum hoc ſuadet, quod haud
„ alterius Theclæ cujuſpiam, Concilio Nicæno recen-
„ tioris, ulla in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ac priſcorum

Pa-

„ Patrum monumentis mentio occurrat, sed & ratio
„ temporis id omnino persuadere videtur. Quippe claruit
„ illa, uti modo vidimus, haud diu post Concilium
„ Nicænum primum, ad finem videlicet vergentis sæ-
„ culi post Christum natum quarti. Quo ipso tem-
„ pore sacrum hunc Bibliorum Codicem scriptum
„ fuisse, à Cyrillo Lucari memorata traditio itidem
„ perhibet: sicque adeo bene secum convenit, ut hoc
„ ipso fidem aliquam mereatur.

Non minùs autem est absurdus Ernestus Grabe, in opinione sua de Codice MS. Alexandrino, quem juxta inscriptionem Cyrilli Lucaris Patriarchæ Constantinopolitani defendit, quàm Brianus Waltonus quem impugnat & *absurditatis* taxat. Vult igitur primò, *Codicem scriptum esse ante mille & trecentos annos circiter, paulo post Concilium Nicænum, manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiacæ, cujus nomen in fine Libri exaratum erat: sed extincto Christianismo in Ægypto à Mahumetanis, Libris Christianorum in similem conditionem redactis, extinctum fuisse & Theclæ nomen & laceratum.* Hæc fabula, seu mendacium, nullam habuit originem quàm Cyrilli Lucaris cerebrum, qui hoc finxit & scripsit, ut Codicem MS. suum Carolo I. Anglorum Regi pretiosiorem & venerabiliorem faceret. Ab Anno enim 636, quo Heraclii Imperatoris anno 27. Syria atque Palæstina, permittente Deo, in manus Muhammedanorum devenit, atque ab Anno 1453. quo Orientale Imperium in Turcarum potestatem redactum fuit, usque ad nostram ætatem seu Annum Christi 1716. quo vivimus: licèt milliones multi hominum Christianorum sub illorum dominio ac potestate in variis ditionum suarum urbibus & provinciis habitent, nulla tamen legitur ab his facta persecutio in eos ob Christianam professionem, quam in Historiis legamus, imò sub tributo mediocri annuatim solvendo Christiani omnes tranquillam sub illis vi-

tam

tam degunt, ab omni violentia immunes. Quam certè felicitatem Occidentales Christiani à Christianis Regibus & Principibus non assecuti sunt, quibus tyrannis & atrocitas cruciatuum in Christianos ejusdem nominis & fidei, meritum fuit atque medium ad vitam æternam consequendam ac peccatorum remissionem obtinendam, juxta sceleratorum hominum falsas doctrinas & prædicationes. Longè ergo benigniores ac clementiores Christianis Principibus Muhammedani, sub quibus quotquot hac professione gloriantur, tranquillè ac pacificè vivunt: atque à Barbaris ut appellant mansuetudo & quies, non à Christianis, expectanda est. Quod diximus de libertate fidei in Christianis sub Imperatoribus Muhammedanis, idem quoque de Libris ad Christianorum fidem & mores spectantibus, in quos illi nunquam desævierunt. Mendacium igitur est quod Cyrillus scribit, *à Muhammedanis sævitum fuisse in Codicem MS. Alexandrinum libros Veteris & Novi Testamenti continentem, ex quo nomen Theclæ obliteratum fuerit.* Si Theclæ nomen lituratum fuit, vel ex lapsu temporis, vel ex antiquitate Codicis factum est, neutiquam autem ex Muhammedanorum odio in Christianissimum, qui parum curant de Religione Christianorum. Hoc patet ex plurimis Bibliothecis Librorum Christianorum, qui ab Anno 1453. usque ad seculum XVII. tum Constantinopoli, tum in aliis Imperii ejusdem urbibus & locis, permanserunt, de quibus Antonius du Verdier in Supplemento *Bibliothecæ* Anni 1585. Antonius Possevinus ad calcem *Apparatus Sacri*, ac novissimè Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus, in *Recensione Bibliothecarum Græcarum* pag. xx. quam præmisit *Palæographiæ Græcæ*, editæ Parisiis Anno 1708. in folio. Mendacium igitur est quod Cyrillus scripsit, *nomen Theclæ erasum à Muhammedanis*, ex Christianorum odio.

2. Men-

2. Mendacium est quod scribit Cyrillus Lucaris in inscriptione Codicis MS. Alexandrini, quamque Joannes Ernestus Grabe defendere conatur, *Codicem scriptum esse ante annos mille & trecentos circiter, paulo post Concilium Nicænum, manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ:* hoc est Anno 327. nempe uno aut altero anno post Concilium Nicænum, ut indicant hæ voces, *paulo post Concilium Nicænum.* At mendacium epochæ hujus arguit ipse Codex MS. Alexandrinus aspectu primo. Continet enim in Codicis ipsius medio, *Epistolam quandam prolixam sub nomine S. Athanasii ad Marcellinum*, de cujus genuinitate nunc silemus, dicturi amplius de illa, capite sequenti. Certum porrò est Epistolam hanc *de Psalmis* tam prolixam, non fuisse scriptam, nisi post mortem Constantii, Imperatoris Arriani, quæ anno Christi 363. contigit, qua Athanasius ad Sedem Alexandrinam reversus, in pace & tranquillitate vixit. In hoc enim tractatu nec vestigium ullum Athanasii persecutionum, nec verbum, quo Athanasius molestias sibi factas testetur. Jam hinc aperte convincitur mendacii inscriptio facta Codici MS. Alexandrino, qui cum diserte scribatur *paulo post Concilium Nicænum exaratus*, hoc est Anno 326. vel 327. continere non potuit Epistolam sub nomine Athanasii ad Marcellinum datam, quæ post Annum 363. scripta fuerit. Hæc de fabula inscriptionis, quam Codici MS. Alexandrino Cyrillus Lucaris appinxit, quæ mendacii convincitur.

3. Absurditas Ernesti Grabe nec minor est nec minus sensibilis, quando ex duabus Theclis à se invicem annis L. vel LX. distantibus, unam eandemque personam fingit. Nimirum ex hac Thecla, quæ juxta Cyrillum Lucarim, tempore Concilii Nicæni circa Annum 327. vixerit, quæ tunc annos ad minus triginta ætatis habeat, ut tunc temporis Codicem integrum Librorum omnium Veteris & Novi Testamenti Græ-

cè

cè ſcribere propriâ manu poſſet: atque ex altera quam poſt Annum 383. ſub ultimis S. Gregorii Nazianzeni collocat, poſtquam ſedi Patriarchali Conſtantinopolitanæ renuntiaſſet, quo tempore annos ætatis 88. vel 90. habuiſſet, Monaſterioque Monialium gubernando & ordinando inepta ob ſenium exſtitiſſet. Quidquid eruditionis habuerit Grabius in Græca Lingua, litteriſque uncialibus explicandis, hunc tamen quoad Chronologiam novitium & hoſpitem fuiſſe arbitror, ſupputatorem abſurdum, qui quadrata rotundis aptare & unire voluerit. Neque enim animadvertit Boruſſus noſter, S. Gregorium Nazianzenum hanc alteram Theclam, de qua Epiſtolis 200. 201. 202. loquitur, appellare τὴν κόρην, *puellam*, ſeu *virginem teneræ ætatis*: quod convenire non poterat mulieri vel vetulæ 88. vel 90. annorum, ſi fuiſſet illa eadem, quæ Codicem MS. Alexandrinum paulo poſt Concilium Nicænum, hoc eſt, circa Annum 326. vel 327. Græcè propriâ manu conſcripſerat. Fallitur ergo Grabius in Chronologia, nec Epiſtolas S. Gregorii Nazianzeni attentè ſatis legiſſe videtur.

Agit de Erneſto Grabe velut amico ac ſibi intimo Bernardus de Montefalconis Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, in *Palæographia Græca*, Appendice ad Caput Quintum & Sextum Libri primi, *De Notis & ſubſcriptionibus Calligraphorum* pag. 510. 511. 512. potiſſimum autem de hoc Codice MS. Alexandrino, de quo ad illum in Gallia ſcripſerat dictus Grabius pag. 513. ſententiamque ſuam Grabio haud ſatis convenientem his verbis enuntiat: „ Hîc ſubjicere „ viſum eſt exempla quædam ex Anglicanis Codicibus, „ quæ à laudato Joanne Erneſto Grabe tranſmiſſa „ mihi ex Anglia ſunt, itemque ſpecimen Codicis Ab„ batis Paſſionei ſuprà memorati. Primum notatum „ prodit ex præclaro illo Codice Alexandrino, ac „ in ære inciſum fuit in Anglia: excerptum autem eſt

„ ex Libro Exodi Cap. 9. à verſu 31. uſque ad 34. ſic-
„ que vulgaribus typis legitur:

Καὶ σὺ καὶ οἱ θεράποντές σου, ἐπίσαμαι ὅτι οὐδέπω πεφόβησθε τὸν Κύριον. Τὸ δὲ λίνον καὶ ἡ κριθὴ ἐπλήγη, ἡ γὰρ κριθὴ παρεσκευῖα, καὶ τὸ λίνον σπερμάτιζον. Ὁ δὲ πυρὸς καὶ ἡ ὀλύρα οὐκ ἐπλήγη, ὄψιμα γάρ ἦν.

Ἐξῆλθεν δὲ Μωϋσῆς ἀπὸ Φαραὼ ἐκτὸς τῆς πόλεως καὶ ἐξεπέτασεν τὰς χεῖρας αὐτῦ πρὸς Κύριον, καὶ.

Et tu & ſervi tui, ſcio quoniam nondum timeatis Dominum. Linum autem & hordeum læſum eſt, hordeum enim ſtabat, & linum germen agebat. Triticum autem & olyra non ſunt læſa, ſerotina enim erant.

Egreſſus eſt autem Moyſes à Pharaone ex urbe, & extendit manus ſuas ad Dominum, &.

„ Character non diſſimilis eſt formis Codicis Colberti-
„ ni, cujus paginam integram dedimus in ſpecimine
„ primo libro 3. cap. 1. pag. 188. ſed tamen hic mi-
„ nutior illo eſt, videturque quinti ſextive ſæculi.

Hæc Bernardus de Montfaucon, in Codicibus ejuſmodi uncialibus litteris ſcriptis aſſuetus, qui Codicem MS. Alexandrinum non ſæculo Eccleſiæ quarto, uti Grabius ſcripſit, aſſignat, ſed quinto vel ſexto, idque verbis dubitantibus & ambiguis.

CAPUT QUINTUM.

De Codicibus MSS. qui litteris, ut vocant, uncialibus ſcripti ſunt: quibus ſæculis exarati fuiſſe ab Eruditis cenſeantur.

AD aſſignandam ſæculo IV. Codicis MS. Alexandrini ætatem, maximè nititur, vetuſtate inſigni atque

atque uncialibus litteris absque accentuum & spirituum notis, quibus Codicem exaratum dicit, Ernestus Grabius.

§. 6. Ubi descriptionem illius his verbis extendit: „Neque de hac Codicis nostri ætate multum dubitabit, qui ejus descriptionem mox dandam ac characterum specimen bene consideraverit. Est is in folio, ut vulgo dicitur, scriptus atramento in membrana, nisi quod ab initio librorum, priores quatuor aut quinque lineæ minio exaratæ sunt, ut & primordia sive inscriptiones Visionum in Prophetis, atque tituli Psalmorum. Singulæ paginæ duas exhibent columnas, quarum quælibet quinquaginta vel paulò paucioribus pluribusve constat lineis, hisque medii digiti longitudinem æquantibus. Sunt autem columnæ intermedio spatio distinctæ, ac tam interiori quam exteriori margine cinctæ. Litteræ sunt unciales rotundæ, ubique ejusdem ferè formæ & magnitudinis, præterquam quod in fine lineæ sæpius sint minores, ac in angustius spatium contractæ. Contrà verò post interstitium quinque vel sex vel plurium, duodecim, quindecimve lineatum, novam inchoet major littera, sæpissimè quidem in fine periodi, aliquando tamen in medio sententiæ: imò quod magis mirandum, in medio vocis cujusdam, E. G. *Numerorum* cap. 3. v. 49. ubi Μω lineam claudit, Τοῦς autem novam incipit. Semper autem majusculum istud elementum, tramitem columnæ excedit &c.

At sub finem capitis IV. jam diximus *litteras uncialis* Codicum MSS. Græcorum non fuisse sæculi IV. proprias, nec ætatem hujus sæculi designare, unde Bernardus de Montefalconis, in his characteribus volvendis versatissimus, Codicem hunc MS. Alexandrinum ad sæculum Ecclesiæ sextum detrusit, neque antea exaratum opinatus est.

In eandem mecum ſententiam accedit Bartholomæus Germon Jeſuita non indoctus in Opuſculo *De veteribus Hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum corruptoribus* part. 2. cap. 8. & 9. ubi de Codicibus MSS. Colbertino, Carnutenſi, & Vaticano diſſerit, quorum ætatem incertam affirmat pag. 448. etiam poſt allegatum Joannem Mabillionem lib. 1. *De Re Diplomatica* pag. 356. qui vult hunc Codicem ſcriptum eſſe *ſub finem ſæculi quarti aut ineunte quinto:* ſed iſtud viro erudito, ut jam monuit, excidiſſe per incogitantiam & errorem: neque enim potuit ſcriptum dicere, *niſi ſub finem quinti ſæculi aut ineunte ſexto.* Tum pag. eadem profert eundem Mabillionem lib. 5. *De Re Diplomatica* pag. 344 ita loquentem: „ Interdum enim contingit, ut *malè feriati ne-*
„ *bulones*, quo veteribus chartis pretium adderent, iis
„ falſas apponerent inſcriptiones, quibus antiquiſſimi
„ temporis nota aliqua contineretur. Cujus rei inſi-
„ gne nobis exemplum Mabillionius ipſe ſuppeditat, in
„ veteri quodam inſtrumento, quod Ravennæ ſcriptum
„ eſt anno Juſtiniani Imperatoris 38. & Chriſti 564.
„ nuncque aſſervatur in Bibliothecæ Regiæ ſcriniis, ubi
„ illud vidimus. Idem docet Bartholomæus Germon cap. 8. *De Codicibus Colbertino & Carnutenſi* pag. 435. dum ſcribit, „deceptum eſſe Theodoricum Ruinar-
„ tium Mabillionii Socium, quippe qui in Appendice
„ ad Opera Gregorii Turonenſis ſæpius laudat Codi-
„ cem Manuſcriptum Corbeienſem, quem in Præfa-
„ tione pag. 148. dixit *ipſius Gregorii ætate exaratum.*
„ In quo ſi re ipſâ reperiuntur monumenta omnia,
„ quæ in Appendice producta dicuntur ex Codice Cor-
„ beienſi, dubitari non poteſt, quin iſte Codex duo-
„ bus aut tribus ſæculis ſit Gregorio Turonenſi po-
„ ſterior. Certè inſtrumentum, quod quarto loco pag.
„ 1356. poſitum eſt inter inſtrumenta electionum, at-
„ que ex Codice Corbeienſi erutum dicitur, non eſt

an-

„ antiquius temporibus Caroli Magni: ſiquidem in eo
„ non ſolum Annus Incarnationis Domini, ſed etiam
„ Indictio appellatur: quem uſum Mabillionius apud
„ Francos in Diplomatibus invaluiſſe negat, ante Ca-
„ roli M. tempora. Jam verò à morte Gregorii Tu-
„ ronenſis ad Caroli Magni obitum anni pluſquam
„ ducenti effluxerunt. Igitur Codex, in quo tale in-
„ ſtrumentum exſcriptum habetur, non eſt æqualis
„ temporum Gregorii, ſed ducentis & amplius annis
„ ipſo poſterior.

Appellat ad auxilium opinionis ſuæ, quoad incertitudinem ætatis atque ſæculi, quo Codices Manuſcripti, litteris etiam uncialibus exarati, ſive Latini ſive Græci, facti eſſe cenſeantur, Chriſtophorum Matthæum Pfaffium natione Germanum ex Ducatu Wirtembergenſi, doctiſſimum juvenem, Principis hæreditarii informatorem datum, ejuſque in Italico itinere comitem; qui, ut narratum mihi, per biennium Taurini in peregrinatione hærens, cum Bibliothecario Sereniſſimi Sabaudiæ ac Pedemontii Ducis, nuncque Siciliæ Regis, amicitiâ ob litterarum peritiam junctus, mediante illo & hortante, Bibliothecam omnem ſeu Codices MSS. omnes Græcos ac Latinos per otium volviſſe & excuſſiſſe, ut poſtea ipſemet mihi retulit. Ejus eruditionem Pfaffii teſtantur *Acta Eruditorum Lipſiæ*, A. MDCCXV. menſe Nov. pag. 485. ad 489. Opuſculaque varia ex Bibliothecis educta, quæ hîc recenſere, affectationis eſſet. Pagina igitur 437. hortatur Jeſuita Cuſtantium Benedictinum, amicum olim noſtrum, ut deſſuandâ Codicum MSS. litteris uncialibus ſcriptorum certâ atque anguſtâ ætate abſtineat, *imitetur potius eruditam Chriſtophori Pfaffii prudentiam*, à quo primum edita nuper prodiit in lucem integra *Firmiani Lactantii Epitome Inſtitutionum Divinarum*, cum tribus aliis veterum Scriptorum Opuſculis pari-

ter ἀνεκδότους. Ille enim cùm Codicis MS. quo usus est, ætatem longævam laudasset, significassetque Codicem visum esse sibi antiquitate superare eorum Codicum litteras, quas Theodoricus Ruinartius in Appendice nova ad editionem secundam Operis Mabillioniani *De Re Diplomatica* fol. 636. 637. exhibet: hæc statim ad icienda putavit, Dissertatione Præliminari Paragr. 9. pag. 12.

„ Hoc ipso tamen nihil determinatum hîc volumus,
„ sed eruditorum potiùs virorum censuræ lubentissimè
„ nos subjicimus, qui optimè novimus in discernen-
„ dis Codicibus MSS. determinandaque eorum ætate,
„ demonstrationes Mathematicas adhiberi non posse.
„ Etenim antiquitas Codicum MSS. qui mille annorum
„ ætatem ferunt, non quoad sæcula determinari po-
„ test, sed quoad aliquot sæculorum decursum. Unde
„ nec quisquam hactenus fuit, qui certas dare regulas
„ sustinuerit, queis distingui vetustissimi illi Codices
„ quoad sæcula possint. Nec enim quovis sæculo æqualis
„ semper scriptura est, sed diversissima sæpiùs pro ratione
„ Librariorum, uti & nostris temporibus diversissimam
„ in diversis scribendi rationem observamus. Sæpe enim
„ Librarii Græci Latina, & Latini Græca descripse-
„ runt, quæ itidem diversitas litterarum ductus ma-
„ ximè variat. Atque in vetustissimis Codicibus nun-
„ quam ferè annus apponitur, quo scripti ii fuerint;
„ cùm in recentioribus is è contrario sæpius videatur
„ annotatus, etsi & hîc fraus aliquando subsit ma-
„ nifesta, falsos annos supponentibus Librariis, prout
„ & falsos sæpe titulos veris supponunt. Itaque non
„ nisi conjecturis hîc locus supereſt, & qui optimè
„ conjicit, quæ fortunæ res est, optimus in discer-
„ nenda MSS. Codicum ætate Criticus videbitur.

Censet igitur doctissimus Pfaffius, in judiciis, quæ de Codicum vetustissimorum ætate fiunt, *nonnisi conje-*

cturis

Hauris locum esse: antiquitatem Codicum, qui mille annorum ætatem ferunt, determinari non posse quoad sæcula, sed tantum quoad aliquot sæculorum decursum: nec quanquam hactenus ausum esse certas dare regulas, quæ is distingui vetustissimi illi Codices quoad sæcula possint. Nec auctoritate Pfaffii contentus contra Petrum Custantium Jesuita Germo, idem secum censere ait pag. 439. Nicolaum le Nourry Custantii Commonachum, cujus studio & curâ Pfaffii Liber typis Parisiensibus editus est. Idem urget pag. 440. atque etiam pag. 441. & 442. Joannem Mabillionem magnum illum membranarum inspectorem in opinionem suam adducens. Hæc Bartholomæus Germo Jesuita *de Codicibus MSS. antiquis uncialibus litteris scriptis.* At magisterium hac in arte singulare professus est, cognoscendi Codices MSS. antiquos litteris etiam uncialibus conscriptos, Græcos Latinosque, doctissimus vir Bernardus de Montfaucon, Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, qui omnem vitam in hoc studiorum genere occupatam voluit. Eruditionem hac in arte suam litterario Orbi testatam fecit insigni Opere *Palæographiæ Græcæ* sive *De ortu & progressu litterarum Græcarum*, edito Parisiis in folio Græcè & Latinè Anno MDCCVIII. apud Bibliopolas tres Viæ Jacobææ, quo sibi famam nunquam morituram assequutus est. Hoc in Opere Liber tertius integer capitibus multis distinctus pag. 184. & sequentibus plurimis inscribitur, *Exempla librorum antiquissimorum unciali charactere: cujus Capite primo pag. citata testatur, se Codices ejus speciei Græcos litteris uncialibus scriptos triginta circiter numero aut vidisse, aut evolvisse, aut peritorum hominum fide & narratu, variis in locis exstare comperit ac testatur. Hos autem libros omnium vetustissimos esse liquidum videtur, tum quia nonnulli ætatis notam præferunt, ut Codex Julianæ Augustæ, de quo mox agetur, vertente quinto aut ineunte sexto sæculo exaratus: tum*

quia inſcriptionum formam retinent, & perinde atque veteres Tabulæ accentibus & ſpiritibus carent. Hæc vir doctiſſimus ac prudentiſſimus, qui quamvis *Libros iſtos omnium vetuſtiſſimos* profiteatur, ætatem tamen illorum *ultra ſæculi quinti vertentis aut ſexti ineuntis* pronuntiare non auſus eſt. Qua laude prudentiæ damnat levitatem Erneſti Grabe, qui Codicis MS. Alexandrini antiquitate præoccupatus nimiâ, librum eò quòd uncialibus litteris exaratus eſſet, ſæculo quarto Eccleſiæ ipſo S. Athanaſii viventis ævo incautus imprudenſque affixit. Mittimus præclara omnia, quæ habet hoc libro tertio capitibus octo à pagina 184. ad 261. ut ad caput 6. pag. 230. veniamus inſcriptum, *Specimina characterum uncialium octavi & noni ſæculi, ex Codicibus Regio, Florentino, Colbertino, & tribus aliis Italicis.* Pag. enim 231. notat vir in characteribus iſtis exercitatus, Codices ſcriptos uncialibus litteris, non tantùm exſtitiſſe *ſæculis quinto vertente & ſexto ineunte*, ut ſuprà diximus, ſed *ſæculis etiam ſeptimo, octavo, nono ac decimo:* unde juxta Pfaffii ſententiam, ſæculum aliquod determinatum Codicibus MSS. unciali charactere exaratis, ſive Græcis ſive Latinis, à nemine aſſignari poſſit. Audiamus Bernardum de Montefalconis hoc in argumento Magiſtrum, meretur enim audiri: „ Multi Codices hu-
„ juſmodi, charactere videlicet unciali oblongo ac defle-
„ xo, ad uſum Chori & Officii Eccleſiaſtici exarati,
„ variis in Bibliothecis exſtant, qui ad inflexiones vo-
„ cum, in Officio Eccleſiaſtico inter legendum obſer-
„ vari ſolitas, notulas quaſdam & lineolas variæ for-
„ mæ exhibent, ut in ſequentibus exemplis animad-
„ vertas. Hi verò, nempe ad uſum Chori deputati
„ libri, non octavo tantùm & nono, ſed etiam deci-
„ mo ſæculo, fortéque poſterius, litteris uncialibus
„ oblongis ac plerumque reclinatis ſcripti comperiun-
„ tur. Tuncque ætas petitur ex notis marginalibus

„ aut

„ aut aliis, quæ ſubinde charactere ligato interſeruntur, „ ut infrà dicetur de Codice quodam Evangeliorum, „ charactere unciali deſcripto. Secus autem de aliis ex- „ emplaribus manuſcriptis, ſive Sanctorum Patrum, „ ſive aliorum : nullum enim hactenus vidi, unciali „ charactere exaratum, quod poſt nonum ſæculum de- „ ſcriptum feratur, licèt multos decimi ſæculi Codi- „ ces evolverim, in quibus ſcriptionis annus à καλλι- „ γεάφῳ ſive Librario notatur. Unum hic adjiciam, habuiſſe me à Baluzio dum Pariſiis eram Anno 1686. Codicem MS. Latinum in 4. ex Colbertina Bibliotheca acceptum, Opuſcula S. Cypriani Martyris continentem, litteris majuſculis ſeu uncialibus ſcriptum, abſque diſtinctione ulla verborum ſeu vocum, quem per octiduum in cella tenui, ut ætatem Codicis certius aſſequerer. Penſatis omnibus, elegantiſſimâ litterarum omnium formâ Codicem ſæculo XII. antiquiorem non arbitratus ſum, membranâ planè albente nullaque fuligine inſpersâ, ſed velut ex officina membranarii recenter eductâ: quem Codicem homo ignarus Latinæ Linguæ deſcripſerat, multiſque mendis & apertis paginas ſingulas conſpurcaverat.

CAPUT SEXTUM.

Argumento demonſtrativo Codex MS. Alexandrinus ſæculo quarto ſcriptus non fuiſſe contra Grabium oſtenditur.

COntendit multâ mentis intentione Erneſtus Grabius in *Prolegomenis* ad Tomum I. *Verſionis Veteris Teſtamenti ſeptuaginta Interpretum* Paragraphis 1. & 6. ex inſcriptione Codicis hujus Manuſcripti, uti capite primo Diſſertationis hujus jam ſuprà diximus, Codicem

hunc Alexandrinum Græcum libros omnes Veteris & Novi Teſtamenti cum Epiſtolis duabus Sancti Clementis Romani Pontificis à Patricio Junio jamdudum editis, *ſcriptum fuiſſe paulo poſt Concilium Nicænum primum*, hoc eſt, circa Annum 326. vel 327. tempore eodem circiter, quo Sanctus Athanaſius Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconus ad Patriarchalem illam promotus fuit Eccleſiam. Juxta enim Guillelmum Cavum *Hiſtoriæ litterariæ* ſæculo IV. ad Annum 326. *Sanctus Athanaſius factus Archiepiſcopus Alexandrinus mortuo Alexandro qui Concilio Nicæno præſidebat, Anno* 326. *communi Catholicorum Eccleſiæ Alexandrinæ ſuffragio, ætatis* XXVIII. *obiit Anno* 371. *ſui Epiſcopatus* XLVII. Ita enim Socrates diſertè lib. 4. *Hiſtoriæ* cap. 20. licèt Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* ad Annum 372. illumque ſequuti ex Recentioribus plurimi, in annum ſequentem rejiciant. Imò juxta Aubertum Miræum in Scholio ad caput 87. S. Hieronymi *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi de *Athanaſio* loquitur, „ S. Athanaſium „ Anno 373. adhuc ſuperſtitem fuiſſe, conſtat ex Pro„ terii Patriarchæ Alexandrini ad Leonem I. Papam „ Epiſtola à Bucherio edita infrà in Notis ad caput „ 10. Iſidori memoranda. Errat itaque Socrates, qui li„ bro 4. cap. 29. tradit Gratiano II. & Probo Conſu„ libus, hoc eſt, Anno Chriſti 371. illum obiiſſe. Hæc poſt Bucherium Miræus. Occupaſſe igitur quodammodo omne ſæculum quartum in Alexandrina ſede S. Athanaſius cenſendus eſt, qui illam ab Anno 326. per XLVII. annos, uſque ad Annum 372. vel 373. quo exſtinctus eſt, tenuit. Quæ obſervaſſe juvat, ad ea quæ poſtmodum à nobis dicenda ſunt. 2. Juxta eundem Grabium locis citatis, Codicem hunc manuſcriptum *vivente Sancto Athanaſio ſcriptum fuiſſe Alexandriæ*, quam ob cauſam *Alexandrinus* appellatur, atque à Sancto ipſo Athanaſio debuiſſe inſpectum fuiſſe, cùm ipſo vi-

vivente ſcriptus fuerit. 3. Ob eandem hanc rationem Scribam ſeu Librarium Codicis hujus MS. Alexandrini, præmiſiſſe ante Pſalterium Davidis, *Epiſtolam prolixam atque eruditam ſub Sancti Athanaſii Alexandriæ Archiepiſcopi nomine ad Marcellinum:* ut ætatem, quâ manuſcriptum Codicem ſuum ſcriberet, magis teſtatam faceret. Hæ tres rationes fallæ & ſuppoſitæ perſuaſerunt Erneſto Grabio, Codicem MS. Alexandrinum fuiſſe ſcriptum ſæculo quarto, ac vivente ipſo S. Athanaſio, qui totum ſæculum occupavit, ab Anno nempe 326. uſque ad Annum 371. vel 372. Contra quem jam agamus.

Multis argumentis ex ipſa deſcriptione Codicis MS. Alexandrini, quam Erneſtus Grabius nobis exhibuit & qua jugulum ſibi petiit, demonſtrationem noſtram aggredimur. Primum petitur ex Codicis MS. inſcriptione, qua dicitur Codex ſcriptus fuiſſe circa Annum 326. vel 327. ac conſequenter vivente ac vidente S. Athanaſio Alexandriæ Archiepiſcopo, qui ſedem hanc tenuit ab Anno 326. ad 372. atque ex *Epiſtola*, quam Erneſtus Grabe integram edendam curavit, Pſalmis præmiſſam *ſub S. Athanaſii ipſius nomine ad Marcellinum*, de qua ille abundè loquitur in Prolegomenis ad Tomum ultimum Editionis hujus Verſionis 70. Interpretum ex Codice iſto MS. Alexandrino: quamque legitimam S. Athanaſii Epiſtolam idem Erneſtus per oſcitantiam, ac verius per ignorantiam, arbitratus fuit. Quibus expoſitis ita argumentor.

Si Codex MS. Alexandrinus 70. Interpretum paulo poſt Concilium Nicænum juxta Grabium in Prolegomenis Tomi primi ſcriptus fuit, ſive Thecla mulier Ægyptia Alexandrina, ſive quis alius ſcripſerit: qui Codicem talem ſcripſit, impoſtor fuit & hominum omnium impudentiſſimus, qui pudorem omnem abjecerit: in tantum ſceleris & impudentiæ prolapſus, ut poſitus

Alc-

Alexandriæ, atque ipso S. Athanasio vivente & Codicem videnti, *Epistolam falsam atque Athanasio suppositam* in medio Codicis MS. Alexandrini impostor præmiserit, cujus falsitatem & impostura Athanasius vivens & legens arguere potuisset. Atqui nullus opinor hominum Græcorum fuit, qui sæculo IV. hoc scelus tam audax tamque impudens perpetrare voluerit: ergo Codex MS. Alexandrinus Versionis 70. Interpretum sæculo IV. scriptus non fuit, nec etiam in tali hypothesi scribi potuit, ac consequenter imperitè se habuit Grabius, dum inconsideratè scripsit, *Codicem MS. Alexandrinum fuisse scriptum paulo post Concilium Nicænum primum*: atque *Epistolam falsam sub Athanasii nomine ad Marcellinum* libro Psalmorum indoctus dormitansque edendam curavit.

Opinor fore neminem qui Propositionem primam negare audeat, sensu communi suffultam, nec ad assensum ejus opus esse ut recurramus ad Antiquarios aut Eruditos, cùm sartores sutoresque idonei sint, qui de veritate illius pronuntient. Propositio autem secunda, seu minor, ita hoc capite contra Ernestum postea probabitur, ut si ille adhuc in vivis esset, εἰς τὴν ἀφασίαν compelleretur. Constat itaque ex hoc argumento, sensu communi nixo, Codicem hunc Alexandrinum sæculo IV. scriptum non fuisse, neque paulò post Concilium Nicænum Anno 325. collectum, neque S. Athanasio vivente ac Codicem videnti.

Jam nobis incumbit ut probemus, *Epistolam à Grabio Græcè etiam editam sub nomine S. Athanasii ad Marcellinum* esse falsam atque Sancto Doctori suppositam; id quod ignoravit Borussus noster, in Scriptis veterum Patrum genuinis discernendis parum versatus & accuratus. Habetur quidem illa Græcè & Latinè in editionibus Operum S. Athanasii omnium Græco-Latinis, Heidelbergensi apud Hieronymum Commelinum Anno 1600. Tomo 1. pag. 740. ad 759. Parisiensi Anni 1627. To-

Tomo 1. pag. 959. Lipſienſi Anni 1686. eadem paginâ quæ in Pariſienſi, quam ubique imitata eſt, Pariſienſi Monachorum Benedictinorum Congregationis S. Mauri Tomo 2. pag. 982. quam Erneſtus Grabe non ſatis attentè conſideravit. At quotquot eruditi viri Editionem ultimam Operum Sancti Athanaſii omnium Benedictinam cum judicio ac ſummâ diligentiâ factam Anno 1698. excuſſerunt & examinarunt, Epiſtolam à Grabio repetitam ſuppoſitionis & incertitudinis notarunt. Cæteros inter non ignobilis Scriptor, vir aliàs celeberrimus Joannes Albertus Fabricius, *Bibliothecæ Græcæ* Anno 1712. in 4. Hamburgi Tomo v. pag. 304. in Cenſura Operum S. Athanaſii hoc habet, ad Tomi ſecundi partem ſecundam *incertorum:* „ Ad *Marcellinum Epiſtola* præfixa Interpretationi Pſalmorum „ pag. 982. ad 1003. & in Lipſienſi Tomo 1. pag. 959. „ verterat ſed mirè decurtatam Angelus Politianus, „ etiam *Joanne Reuchlino* interprete prodiit Antverpiæ „ 1537. unà cum Joannis Campenſis Enchiridio Pſalmorum. Præfigitur itidem, ſed initio mutila, *Catenæ Pſalmorum à Balthaſare Corderio* Græcè & „ Latinè Antverpiæ Anno 1643. folio editæ. Noviſſimè ex Codice antiquiſſimo Alexandrino Græcè in „ ſua 70. Interpretum editione vulgavit & Pſalmis præfixit V. C. *Joannes Erneſtus Grabe*. Quoniam in hac „ *Epiſtola Athanaſii* ne verbum quidem de *Inſcriptionibus Pſalmorum* legitur, itaque Benedictini meritò judicant, aliud fuiſſe Sancto Hieronymo laudatum Athanaſii Opus *De titulis Pſalmorum*. Condemnationem ſuam hîc habet diſertam Erneſtus Grabe à Benedictinis Monachis pronuntiatam. Idem quoque affirmant iidem Monachi Benedictini in Præfatione Generali ad univerſa S. Athanaſii Opera, §. *De amiſſis Athanaſii Operibus* pag. XIV. his verbis: *Liber de Pſalmorum titulis ab eodem Hieronymo inter Athanaſii Opera com-*

me-

memoratus, si non id ipsum est quod Argumenta in Expositionibus Psalmorum, ad frontem cujusque Psalmi posita, vel quod Expositiones ipsæ, exstinctus pariter fuit. Epistola igitur sub nomine Athanasii ad Marcellinum, quæ in Codice Alexandrino Psalmis præmittitur, quamquè Ernestus Grabe recudendam Græcè ex hoc Codice MS. voluit, falsa est atque Athanasio supposita juxta Benedictinos Monachos, Operum Sancti Athanasii Scholiastas atque eruditos Censores.

Secundum argumentum desumitur ex genuina ac legitima *Epistola S. Athanasii ad Marcellinum*, quam Ernestus Grabe non cognovit, spuriam pro vera agnoscens. Hinc itaque sic argumentor. Exstabat Epistola genuina ac vera S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi, sæculo Ecclesiæ quinto, ætate Sancti Hieronymi Presbyteri, qui mentionem illius facit in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 87. atque post illum Sophronius Scriptor Græcus, qui hunc librum aliquanto post Hieronymum in Græcam Linguam transtulit: qua de re dubium nullum esse potest. Non tantùm autem sæculo Ecclesiæ quinto Epistola S. Athanasii vera & genuina exstitit, sed etiam usque ad sæculi octavi declinantis finem, tempore Concilii Nicæni secundi, quod Anno sæculi 787. convocatum fuit, unde ad sæculum Ecclesiæ nonum exstitit, quo excidisse illa creditur. Argumentum hujusce rei invictum, quod *Epistola ista genuina S. Athanasii* ab ipso Concilio allegetur Tom. VII. Conciliorum Labbeanæ editionis Parisiensis Anni 1671. in Concilio Nicæno II. Actione VI. col. 540. cujus symbola profertur his verbis: Ὁ δὲ τῆς ἀθανασίας ἐπώνυμος, τὸ ἀνώτατα ἡμῖν διαγορεύει ἐν τῇ πρὸς Μαρκελλῖνον ἐπιστολῇ, ἣν προέταξεν ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ἑρμηνείας τῶν Ψαλμῶν, οὑτωσὶ λέγων: Τὴν βίβλον τῶν Ψαλμῶν τις λαμβάνων, τὰς μὲν περὶ τοῦ Σωτῆρος προφητείας συνήθως, ἐν τῶν ἀλλαῖς γραφαῖς θαυμάζων καὶ προσκυνῶν διέρχεται· ὁρᾷς, πῶς τοῦ

Σω-

Σωτῆρος προφητείας ὁ θεσπέσιος Πατὴρ προσκυνεῖν ἡμῖν παρακεύεται. *Qui autem ab immortalitate nomen habet, scilicet Athanasius, antiquissimè nobis enarravit in ipsa ad Marcellinum Epistola, quam præmisit libro interpretatationis Psalmorum, ita dicens*: Aliquis libro Psalmorum accepto, Salvatoris quidem prophetias consuetè, sicut in aliis scripturis, admirans & adorans, egreditur. *Vides-ne qualiter prophetias egregius Pater adorare nobis jubeat?* Exstabat igitur adhuc Epistola genuina & vera S. Athanasii ad Marcellinum sub finem sæculi octavi, cujus symbolam hanc Concilium secundum Nicænum Anno 787. convocatum profert, adjiciens hanc *Epistolam consuevisse præponi Interpretationi illius in Psalmos.* Hinc autem demonstrativè concludimus, Codicem MS. Alexandrinum neque fuisse sæculo quarto scriptum, ut Ernestus Grabe ineptè confabulatus est: neque à Thecla illa muliere Ægyptia exaratum fuisse, uti Cyrillus Lucaris Constantinopolitanus Patriarcha commentus est: sed neque etiam Codicem talem Alexandrinum scriptum fuisse, nisi post sæculum octavum atque post Concilii secundi Nicæni Anno 787. convocati celebrationem, cujus tempore *Genuina adhuc ac sincera S. Athanasii ad Marcellinum Epistola* exstabat. Si enim Codex MS. Alexandrinus paulo post Concilium Nicænum primum circa Annum 326. vel 327. exaratus fuisset, si à Thecla muliere Ægyptia scriptus fuisset, Codex iste habuisset Epistolam S. Athanasii ad Marcellinum veram non falsam, genuinam non suppositam: quippe quæ nondum erat in rerum natura sæculo octavo, nec nisi in Genuinæ deperditæ locum sæculo nono vel decimo à Græculis recentioribus, omnia audentibus, substitui potuit. Vanum igitur Grabii somnium, dum Codicem MS. illum Alexandrinum scriptum fuisse ariolatur sæculo Ecclesiæ quarto.

Ar-

Argumentum tertium, quod Codex MS. Alexandrinus ſæculo quarto ſcriptus non fuerit, deſumitur ex ipſo Grabio, in deſcriptione Codicis Alexandrini quam facit, neſciens quid ſcriberet, vel non intelligens. Attulimus Diſſertationis hujus capite 1. quæ ille dixit in Codicis MS. Alexandrini gratiam *Prolegomenis* ad Tomum primum Veteris Teſtamenti Septuaginta Interpretum Oxonii Anno 1707. editum: tum capite 2. quæ idem præmiſit ad Codicis MS. ejuſdem Alexandrini commendationem ante Tomum (ut vocavit) ultimum ejuſdem Verſionis, ibidem Anno 1709. editum Paragraphis 3. & 5. quæ dubio procul Grabius non intellexit. Porrò in Prolegomenis ad hunc Tomum ultimum *Pſalmis Davidis* præmiſſis, deſtruit quæ ſtatuerat antea in Prolegomenis ad Tomum primum. Oſtendit etenim evidenter Paragrapho 5. ſequentibus verbis, Codicem hunc Alexandrinum fuiſſe ſcriptum *non à Thecla muliere nobili Ægyptia ſæculo quarto paulo poſt Concilium Nicænum primum circa Annum 326. vel 327.* ſicut antea in Prolegomenis ad Tomum primum Verſionis ſuæ Septuaginta Interpretum dixerat: ſed à *Monacho aliquo Acœmeto, atque ad uſum Monaſterii alicujus Acœmetorum quod erat in urbe Alexandria*, ut conſtat ex his Paragraphi 5. verbis, quæ deſcripſit bonâ fide, neſciens quæ ſcriberet.

„ §. 5. Poſt hæc in MS. Alexandrino col. 2. pag. 2.
„ poſtremi ex duobus ante memoratis foliis exſtant Κα-
„ νόνες *diurni & nocturni* Pſalmorum, itemque *matu-*
„ *tini & veſpertini*, quibus docetur quinam Pſalmi ſint
„ orandi mane ac ſingulis diei horis, quinam item ve-
„ ſpertini, ubi lumina accenduntur, ac quacumque no-
„ ctis hora. Quamvis autem quidam numeri vetuſta-
„ te ita ſint attriti, ut eos ægrè admodum perſpicere
„ liceat, illos tamen, prout adhibitâ omni diligentiâ
„ aſſecutus ſum, hic expreſſos dabo. Hæc Grabius;

„ qui-

quibus liquidum facit, contra ea quæ ſcripſit in Prolegomenis ad Tomum primum, Codicem hunc MS. Alexandrinum non fuiſſe ſcriptum à Thecla nobili fœmina Ægyptia paulò poſt Concilium Nicænum primum circa Annum 326. vel 327. ſed ſcriptum fuiſſe à Monacho quodam Acœmeto, atque ad uſum Monaſterii cujuſdam Acœmetorum, quod in urbe Alexandria inſtitutum fuerat, quorum hoc ſingulare inſtitutum erat, ut diu noctuque Pſalmodiæ incumberent: quibus Codex hic MS. Alexandrinus præfigit Canones ſeu Regulas ad Pſalmodiam nocturnam, quoſve Pſalmos Davidis quavis noctium horâ cantare deberent. Hoc ſi advertiſſet Grabius in Monaſticis rebus non exercitatus, quod per ſe liquidum eſt, non adſcripſiſſet ſuum Codicem MS. Alexandrinum Theclæ nobili fœminæ Ægyptiæ Linguam Græcam neſcienti, nec ſcribendi Græcâ capaci.

Ex tali hypotheſi, quæ veriſſima eſt, atque ex Codice ipſo MS. Alexandrino conſtat, tumque ex Grabii ipſius confeſſione, aggredimur *argumentum tertium* ad probandum hunc Codicem MS. Alexandrinum non fuiſſe ſcriptum, licèt uncialibus litteris exaratus eſſe concedatur, neque à S. Thecla nobili muliere Ægyptiaca paulò poſt Concilium Nicænum primum circa Annum 326. vel 327. neque ullatenus ſæculo quarto, ſeu S. Athanaſio Alexandriæ Archiepiſcopo vivente ac Codicem vidente: ſed multis poſt ſæculis, nempe poſt ſæculum octavum, atque ut vero ſimilius eſt, ſæculo tantùm decimo. Rationem apertam atque Eruditis omnibus cognitam damus, quia nempe *Acœmeti Monachi*, ut capite ſequenti Diſſertationis hujus probabimus ex Ducangio, ſæculo tantùm Eccleſiæ quinto emerſerunt, ſeu originem habuerunt. Cùm igitur Codex MS. Alexandrinus pro Acœmetis & in uſum illorum conſcriptus fuerit, ex ipſa Codicis MS. inſpectione

atque Grabii ipsius illum describentis confessione: hinc elenctico argumento patet, hunc Codicem MS. Alexandrinum, nec sæculo IV. scriptum fuisse, nec scribi potuisse ante Acœmetas Monachos erumpentes seu ortos. Hæc sunt argumenta demonstrativa, quibus probamus Codicem MS. Alexandrinum nec sæculo quarto scriptum esse contra Grabium, nec scribi potuisse.

CAPUT SEPTIMUM.

De Monachis Acœmetis, tam Orientis quàm Occidentis.

QUidquid in hoc capite de *Monachis Acœmetis, tam Orientis quàm Occidentis*, dixerimus, illud velut scriba atque amanuensis Clarissimi viri & Doctissimi Caroli du Fresne Domini du Cange accipiam, ex *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* Tomo I. verbo *Acœmeti* col. 42. & 43. Parisiensis editionis 3. tomis in folio, Anno 1678. & Lipsiensis editionis Anno 1710. Tomo I. verbo *Acœmeti* coll. 46. 47. 48. Nec enim hoc argumentum eruditione majori tractari à quoquam unquam potest; sic ille itaque.

„ *Acœmeti, Achimitenses*, Liberatus Diaconus in „ Breviario cap. 18. *Per quendam Monachum Achi-* „ *mitensem* &c. *Meminit Cyrilli Abbatis Acymetensis.* „ Nicolaus Papa I. Epist. 10. *ut Monasterii Aquimiti.* „ Gelasius Papa libro adversus Nestorium & Euty- „ chem. Codex Concilii Chalcedonensis Bohicrianus „ Act. 3. *Omnis numerus non adscriptus est, neque in* „ *meo, neque in Acumensium Græco*: apud Labbeum „ tom. 4. Concil. pag. 460. rectius *Acumetensium*, ut „ est in fine Actionis 8. 9. 10. &c. Victor Tunnensis in „ Chronico, *Et ipsa damnatio Accacio Constantinopo-* „ *lim*,

„ *lim, Legatis missis per Monachos Monasteriorum Achi-*
„ *mitensium atque Dii, ingeritur.* Rectius alio loco, *Pri-*
„ *masius quoque Acœmetensi Monasterio relegatur.* Nam
„ dicti Græcis Ἀκοίμητοι Monachi, quòd in eorum
„ Monasteriis divinum Officium diu noctuque, nullo
„ interposito cessationis intervallo, celebraretur & can-
„ taretur, divisa in hunc finem in tres cœtus Mona-
„ chorum sodalitate: ita ut peracto à priori in Eccle-
„ sia Officio, secundus & mox tertius succederet, fic-
„ que nullâ horâ Ecclesia à laudibus & canticis vaca-
„ ret. Hujusmodi instituti auctorem agnoscit Ni-
„ cephorus Callistus libro 15. cap. 23. S. Marcellum
„ Apamiensem, cujus festum agunt Græci die 29. De-
„ cembris. Alii ut Synaxaria & Auctor Vitæ Marcel-
„ li, *Alexandrum Abbatem*, cui ille in ea dignitate suc-
„ cessit: Καὶ τότε μὲν ὁ θεῖος Ἀλέξανδρος πρὸς τῷ ἱερῷ
„ οἴκῳ τῷ μεγάλῳ ἐν Μάρτυσι Μηνᾶ τὴν ἄσκησιν ἐπιδόμενο-
„ το· ὕστερον δὲ καὶ πρὸς αὐτῷ τῷ Πόντου σώματι σεμνὸν ἱδρύσα-
„ το φροντιστήριον, ἔξ δὴ καὶ νόμον εἰσάγει καινὸν μὲν, ἀλλὰ
„ τὰ ἀπανταχοῦ καλλιστον, μηδέποτε τοῦ εἰς Θεὸν ὕμνου τὸ σύνε-
„ χὲς διακόπτεσθαι, ἀλλὰ τῇ κατὰ διαχῆ τοῦ λειτουργοῦντος
„ ὑπαλλαγῇ τὸ ἀδιάλειπτον καὶ ἄπαυστον τῇ δεσπότῃ προσφέ-
„ εσθαι δοξολογίαν. Florebat verò Alexander Anno
„ Christi 420. de quo etiam consulendus Anonymus in
„ illius Vita cap. 5. apud Bollandum die 15. Januarii.
„ Porrò Monasterii τῶν Ἀκοιμήτων Constantinopoli me-
„ minerunt passim Scriptores, Theodorus Lector lib.
„ 1. Evagrius lib. 3. cap. 18. 21. &c. Theophanes pag.
„ 104. 122. Cedrenus in Leone.

„ Porrò à Græcis-ne Orientalibus ejusmodi continui
„ & perpetui in Ecclesia cantus & Officii celebrandi mo-
„ rem, Monachi nostri Occidentales, an verò isti à nostris
„ hauserint, vix definire ausim, cùm eum à primæva
„ Monasteriorum, in Ecclesia Romana, origine &
„ institutione obtinuisse constat: maximè in Mona-

„ sterio Agaunensi, ipso à Sigismundo Burgundiæ Re-
„ ge erecto ac fundato. Ita enim in Charta dotationis,
„ seu potius in Synodo Agaunensi, Victorius urbis
„ Gratianopolitanæ Episcopus ait: *Rectè mihi vide-*
„ *tur, ut secundùm plenissimam devotionem Domini Re-*
„ *gis, & psallendi institutionibus, fiant novem Non-*
„ *næ: id est, Granensis, Isiana, Juvensis & Melven-*
„ *sis & cæteræ: ut succedentes sibi in Officiis Canonicis,*
„ *id est, Nocturnis, Matutinis, Prima, Tertia, Sex-*
„ *ta, Nona & Vespertina, in hanc die noctuque indefinenter.*
„ *Domino famulentur.* Sed & ipse Dagobertus in Mo-
„ nasterio S. Dionysii à se constructo & fundato *Or-*
„ *dinem Psallentium instar Monasterii Agaunensium, &*
„ *S. Martini Turonensis, ut ibidem laus Dei perenniter*
„ *haberetur, instituit:* ut scribit Andreas Silvius in
„ Chronico Marcianensi. Chronicon Divionense MS.
„ de Monasterio Sancti Benigni, *Contulit Rex Gun-*
„ *tranus Deo & Sancto Benigno ad victum Monacho-*
„ *rum, &c. Insuper etiam instituit ut ad similitudinem*
„ *Monasterii Sanctorum Agaunensium, diu noctuque di-*
„ *vinum persolveretur Officium.* Idem de Luxovienſi
„ Monasterio testatur S. Bernardus in Vita Sancti Ma-
„ lachiæ: *Ad has nostras Gallicanas partes Sanctus Co-*
„ *lumbanus adscendens, Luxovienſe construxit Monaste-*
„ *rium, factus ibi in gentem magnam. Ajunt tam magnam*
„ *fuisse, ut succedentibus sibi invicem choris continuaren-*
„ *tur solemnia Divinorum, ita ut ne momentum quidem*
„ *diei ac noctis vacaret à laudibus.*

„ Primis enim iis sæculis tantus religionis & stri-
„ ctioris vitæ fervor floruit, ut Monachorum nume-
„ rus & cœtus in immensum excresceret: adeo ut in
„ quibusdam ex iis ad 300. 400. & etiam 500. cen-
„ serentur. Unde cùm Ecclesia universos simul ca-
„ pere non posset, necesse erat, ut inter se Officii ce-
„ lebrandi horas partirentur, & in *Choros*, ut vocant,

„ se-

„ sese distribuerent. Aut certè in varia Ecclesiæ Sa-
„ cella seu Altaria, vel Capellas secederent, ibique
„ sua exsequerentur officia, certo præscripto modo &
„ ordine, quem ex Angilberto Centulensi Abbate plu-
„ ribus refert Hariulphus libro 2. cap. 11. Acta Sancti
„ Quintini Martyris Num. 12. *Disciplinæ Monasticæ*
„ *rudimenta posuere in hoc Cœnobio* (Iliminensi). *Mo-*
„ *nachi Sancto Gallo acciti, &c. quorum numerus ad 150.*
„ *excreverat, & ut Seniorum traditione accepimus, tantus*
„ *Deo militantium Fratrum exercitus in tres quinquagenas*
„ *distributus fuit, ut uno exeunte quinquagenario Chorum,*
„ *laboris vel refectionis seu quietis gratiâ, continuò alius*
„ *ad stativas vigilias succederet, adeoque die ac nocte sine*
„ *interpolatione suæ Dei laudes depromerentur.* S. Al-
„ thelmus *De laude Virginitatis cap.* 26.

In queis nempe decem Monachorum millia florent,
Cantibus assiduis & Psalmis carmine crebro, &c.

Epitaphium Raimberti Episcopi Virdunensis:

Te veteres ponit structore, novoque resumit,
Hæc ædes mores, in qua noctuque diuque
A Monachis laudes divinæ vociferantur.

„ Charta Pipini Regis pro Monasterio S. Dionysii
„ apud Doubletium pag 703. *Ut sicut tempore anteces-*
„ *sorum Regum, ibidem in ipsa Sancta Basilica psallen-*
„ *sius per turmas fuit institutus, sicut Ordo sanctus edo-*
„ *cet, die noctuque perenniter in ipso sancto loco celebra-*
„ *retur.* Eadem ferè in Præcepto Clodovæi Regis pro
„ eodem Monasterio habentur.
„ Atque inde Græcis ejusmodi Monachi dicti Ἀκοί-
„ μητοι, quòd diu noctuque in Ecclesia psallerent, nul-
„ laque hora vacaret à laudibus divinis, quas ex eo

„ *laudis perennis* nomine agnoſcunt Scriptores noſtri. „ Ἀκοίμητος ὑμνολογία dicitur Ignatio Diacono in Vita „ S. Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani, ἄπαυ„ στος λειτουργία Joanni Euchaïtæ pag. 32. 33. quam „ ille in Eccleſia Sophiana à Conſtantino Monomacho „ inſtitutam ait: tametſi hæc verba alio ſenſu capienda conſtet ex deſcriptione noſtra *Conſtantinopoleos Chriſtianæ*, ut & ἄπαυστος λειτουργία apud quendam Anonymum *De depoſitione veſtis Deiparæ in Ædæ Blachernæ* pag. 770. *Indeficiens Pſalmodia*, in Vita S. Angilberti Abbatis Centulenſis cap. 2. num. 16. *Sic ad menſam, ſic ad lectos, ſic ad omnia omni tempore exibant*, (Monachi Centulenſes) *ut indeficiens Pſalmodia in Eccleſia Salvatoris omni tempore permaneret*. Adde Vitam Sancti Madelgiſiti N. 13. de Monaſterio eodem Centulenſi, *ubi divinæ laudis ſonus non deſiſtit*. Ita lucernas ἀκοιμήτους appellabant Græci, „ quæ in Eccleſia perpetuò ardent, ut eſt apud Ignatium Diaconum in Vita S. Nicephori Patriarchæ „ Conſtantinop. Num. 7. Pachymerem libro 2. cap. „ 21. Anonymum de Locis Hieroſolymitanis, & alios. „ Vide *Normulas*. Proinde perperam vir doctus lib. „ 1. *De Monachis primitivæ Eccleſiæ* cap. 9. cenſuit „ *Acœmetas* dictos, quòd inſomnes, & nunquam conniventes oculis, perpetuis ſe vigiliis exercerent. Hæc Ducangius de Monachis Acœmetis.

CAPUT OCTAVUM.

Codicem MS. Alexandrinum à Monacho Acœmeto conſcriptum fuiſſe, & illum fuiſſe ad uſum Monaſterii Acœmetarum.

NUllo hîc argumento utimur, contenti deſcriptione ſimplici ac ſincerâ Codicis MS. Alexandrini, quam

quam ipſe Erneſtus Grabius præmiſit Prolegomenis factis ad Tomum ultimum Verſionis Septuaginta Interpretum, editum Oxonii Anno MDCCIX. è Theatro Scheldoniano, ſumptibus Henrici Clementis. De illa jam ſuprà cap. 6. argumento 3. loquuti ſumus paucis verbis, de qua hîc iterum Paragraphum 5. integrum tranſcribemus.

„ §. 5. Poſt hæc in Codice MS. Alexandrino col. 2. „ pag. 2. poſtremi ex duobus antè memoratis foliis „ exſtant *κανόνες diurni & nocturni* Pſalmorum, item- „ que *matutini & veſpertini*, quibus docetur, quinam „ Pſalmi ſint orandi mane ac ſingulis diei horis, quinam „ item veſperi ubi lumina accenduntur, ac quacunque „ noctis hora. Quamvis autem quidam numeri vetuſta- „ te ita ſint exeſi, ut eos ægrè admodum perſpicere „ liceat, illos tamen, prout adhibitâ omni diligentiâ „ aſſecutus ſum, hîc expreſſos dabo.

Κανόνες ἡμερινοὶ & Ψαλμῶν.

Ὀρθρινοὶ γ. ξβ. ρμ. ρμα.
ὡρ α ψαλμὸς η.
ὡρ β ψαλμὸς κθ.
ὡρ γ ψαλμὸς α.
ὡρ δ ψαλμὸς μα.
ὡρ ε ψαλμὸς ς.
ὡρ ς ψαλμὸς ο.
ὡρ ζ ψαλμὸς ξθ.
ὡρ η ψαλμὸς πδ.
ὡρ θ ψαλμὸς ριβ.
ὡρ ια ψαλμὸς ρμ.
ὡρ ιβ ψαλμὸς ρν.
ὡρ ιβ ψαλμὸς ρκ.

Κανόνες νυκτερινοὶ τῶν Ψαλμῶν.

Αυχνικοὶ γ. ρκθ. ρμ. ιβ.
ὡρ α ψαλμὸς οδ.
ὡρ β ψαλμὸς κθ.
ὡρ γ ψαλμὸς νδ
ὡρ δ ψαλμὸς ς
ὡρ ε ψαλμὸς δ.
ὡρ ς ψαλμὸς μ.
ὡρ ζ ψαλμὸς να.
ὡρ η ψαλμὸς π.
ὡρ θ ψαλμὸς πζ
ὡρ ι ψαλμὸς πε.
ὡρ ια ψαλμὸς κα.
ὡρ ιβ ψαλμὸς νς.

Valeat itaque Thecla nobilis illa fœmina Ægyptia, quæ ab oſcitante Erneſto Grabio in Prolegomenis ad Tomum 1. Verſionis Veteris Teſtamenti 70. Interpretum ſcripſiſſe dicitur Codicem MS. Alexandrinum, paulò poſt Concilium Nicænum primum, hoc eſt, circa Annum 326. vel 327. Valeat, inquam, velut fabula ab illo Cyrillo Lucare Patriarcha Conſtantinopolitano inventa, ut pretioſitatem majorem adderet muneri Codicis, quem Carolo primo Anglorum Regi ex Græcia miſſum offerebat. Valeat Thecla illa altera, quam multo labore Erneſtus Grabe adinvenit, Sancto Gregorio Nazianzeno ſeni coætaneam, cui poſt Annum 383. ſeu poſt renuntiationem ab ipſo Patriarchalis Conſtantinopolitanæ Sedis factam, Codicem hunc MS. Alexandrinum appellatum tradit, ſive ab ipſa ſcriptum, ſive à Sodalibus Parthenonis Virginibus. Liquidum enim videtur, Codicem hunc MS. exiſtentem ad uſum cujuſdam Monaſterii Acœmetorum, ut ex ante-

antedictis constat, scriptum fuisse ab Monacho aliquo Acœmeto, qui Græcam Linguam noverat, non autem ab aliqua Ægyptiaca muliere, quæ Linguæ istius ignara fuisset.

CAPUT NONUM.

Codicem Manuscriptum Alexandrinum scriptum fuisse post sæculum octavum.

OStendimus cap. 6. Dissertationis istius *Argumento* 1. fuisse præmissam Psalmis, in Codice MS. Alexandrino, de quo agimus, *Epistolam falsam & suppositam sub S. Athanasii nomine ad Marcellinum:* unde probavimus argumento invincibili, quòd Codex MS. Alexandrinus non fuisset vel vivente Athanasio, vel sæculo quarto scriptus: nullus enim Alexandriæ satis impudens fuisset, qui Codicem hunc Athanasio vivente ac vidente, *Epistolam falsam & suppositiam sub nomine S. Athanasii ad Marcellinum* præmittere ausus fuisset. Tantumque hoc argumentum mihi visum est, ut demonstrationem secum habeat. Nunc paulò latiùs de genuina Epistola S. Athanasii ad Marcellinum, ac supposititia agendum hoc capite occurrit, ut de ætate recentiori Codicis MS. Alexandrini liquidius omnibus etiam criticen non professis constet.

Certum 1. Epistolam à Sancto Athanasio Alexandriæ Archiepiscopo ad Marcellinum scriptam fuisse, atque sæculo Ecclesiæ quinto ætate Divi Hieronymi Presbyteri exstitisse, cujus disertam facit mentionem in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 87. his verbis: „ Athanasius Alexandrinæ urbis Episcopus, multas Ariano„ rum perpessus insidias, ad Constantem Galliarum „ Principem fugit, unde reversus cum litteris, & rursum

„ sum post mortem ejus fugatus, usque ad Joviniani im-
„ perium latuit, à quo receptâ Ecclesiâ sub Valente
„ moritur. Feruntur ejus adversùs Gentes libri duo, &
„ contra Valentem & Ursatium unus, & de Virginitate,
„ & de persecutionibus Arianorum plurimi, & de
„ Psalmorum Titulis, & Historia Antonii Monachi
„ Vitam continens, & Ἑορταστικαὶ Epistolæ, & multa
„ alia, quæ enumerare longum est. Non videtur au-
tem *Epistolam hanc ad Marcellinum* Athanasius scripsisse *de Titulis Psalmorum seu Inscriptionibus* ante mortem Constantii Imperatoris, hoc est, ante Annum 363. vel etiam post Annum 365. ad quem usque fugitivus fuit & errans & latens, in Ecclesia sua Alexandrina à Joviniano Imperatore restitutus. Eam autem *Epistolam S. Athanasii ad Marcellinum*, fuisse Epistolam Athanasii genuinam ac veram, cujus mentionem facit loco citato S. Hieronymus, nullus opinor dubitabit: cùm supposititia & falsa Epistola, quæ nunc excurrit, nonnisi multis post sæculis, in locum veræ ac sinceræ, quæ excidit, à Græcis seu Græculis recentioris ævi substituta fuerit.

2. Uti cap. jam sexto Dissertationis hujus *Argumento* 2. docuimus, atque heic repetimus ad verbum:
„ Non tantùm autem sæculo Ecclesiæ quinto Episto-
„ la Sancti Athanasii vera & genuina exstitit, sed etiam
„ usque ad sæculi octavi declinantis finem, tempore
„ Concilii Nicæni secundi, quod Anno sæculi 787.
„ convocatum fuit, unde ad sæculum Ecclesiæ no-
„ num exstitit, quo excidisse illa creditur. Hujusce
„ rei argumentum invictum, quod *Epistola ista genui-*
„ *na S. Athanasii* ab ipso Concilio Nicæno secundo
„ allegatur Tomo VII. Conciliorum Labbeanæ editio-
„ nis Parisiensis Anni 1671. in Concilio citato Actio-
„ ne VI. col. 540. cujus symbola profertur his verbis:
„ Ὁ δὲ τῆς ἀθανασίας ἐπώνυμος τὸ ἀνώτατα ἡμῖν διαγο-

„ ρεύει

„ φύσει ἐν τῇ πρὸς Μαρκέλλινον ἐπιστολῇ ἣν προτέτακται ἐν
„ τῇ βίβλῳ τῆς ἑρμηνείας τῶν Ψαλμῶν οὕτως λέγων: Τὸν
„ βίβλον τῶν Ψαλμῶν τις λαμβάνων, τὰς μὲν περὶ τοῦ Σωτῆρος
„ προφητείας συνίθως, ἐν ταῖς ἄλλαις γραφαῖς, θαυμάζων ἢ
„ προσκυνῶν διέρχεται. Ὅρας, πῶς τὰ τοῦ Σωτῆρος προφη-
„ τείας ὁ θεσπέσιος Πατὴρ προσκυνεῖν ἡμῖν παρακελεύεται.
„ *Qui autem ab immortalitate nomen habet, scilicet Athanasius antiquissime nobis enarravit in ipsa ad Marcellinum Epistola, quam præmisit in libro interpretationis Psalmorum, ita dicens:* Aliquis libro Psalmorum accepto, Salvatoris quidem prophetias consuetè, sicut in aliis Scripturis, admirans & adorans, egreditur. *Vides-ne qualiter prophetias egregius Pater adorare nobis jubeat?* Exstabat igitur adhuc Epistola genuina & vera Sancti Athanasii ad Marcellinum sub finem sæculi octavi, cujus Symbolam hanc Concilium Nicænum secundum Anno 787. convocatum profert, adjiciens *hanc Epistolam consuevisse præponi illius interpretationi in Psalmos.* Hinc autem demonstrativè concludimus, Codicem MS. Alexandrinum neque fuisse sæculo quarto scriptum, ut Ernestus Grabe ineptè confabulatus est, neque à Thecla illa muliere Ægyptiaca exaratum fuisse, ut Cyrillus Lucaris Patriarcha Constantinopolitanus commentus est: sed neque etiam Codicem talem Alexandrinum scriptum fuisse, nisi post sæculum octavum, atque post Concilii secundi Nicæni Anno 787. convocati celebrationem, cujus tempore *genuina adhuc ac sincera S. Athanasii ad Marcellinum Epistola exstabat.*

3. Liquidum igitur est ex antedictis, atque hîc repetitis, Codicem MS. Alexandrinum, cui tantam antiquitatem Angli præoccupati, etiam doctissimi, adscripserunt, ut illum etiam ad sæculum Ecclesiæ primum referrent, atque ad tempora S. Pauli Apostoli, scriptum à S. Thecla ejus discipula & inter fœminas

Pro-

Protomartyre, boni viri nugarentur: neque etiam sæculo octavo ante tempora Concilii Nicæni secundi Anno 787. convocati exaratum fuisse. Ratio aperta est, tunc temporis enim Scriba Codicis hujus præmisisset ante Psalmos *genuinam ac veram Sancti Athanasii Epistolam ad Marcellinum*, quæ tunc adhuc exstabat, & quam *Interpretationi Athanasii ejusdem in Psalmos* præmittere tunc consueverant, ut Concilium Nicænum secundum testatur. Non potuisset autem *adulterinam & falsam Epistolam sub Sancti Athanasii nomine ad Marcellinum* præmittere, ut incautus egit in ipso Codicis MS. Alexandrini medio: quia tunc temporis, seu sæculo octavo tempore Concilii Nicæni secundi, *adulterina & supposititia illa Sancti Athanasii ad Marcellinum Epistola* nondum exstabat: quippe quæ sæculo illo Ecclesiæ obscuro x. atque ignarissimo à Græculis recentioribus, omnia absque judicio audentibus, conficta fuerit, & substituta in locum genuinæ Epistolæ ac veræ, quæ sæculo nono cum Interpretatione ipsa Psalmorum ab S. Athanasio conscripta, posteritati excidérit: ut ipsi etiam Benedictini Operum Athanasii editores clarissimi Anni 1698. in Præfatione Generali asstantur.

4. Credidit porrò Ernestus Grabe, *Epistolam S. Athanasii ad Marcellinum*, quam ex Codice MS. Alexandrino Græcè recudendam utpote ampliorem & integriorem curavit, fuisse genuinam atque veram Sancti Doctoris operam, non autem adulterinam ac supposititiam, ut oculatioribus aliis atque potissimum Benedictinis Operum S. Athanasii editoribus & illustratoribus ultimis visum fuit. Liquere hoc potest ex Prolegomenis dicti Grabii præmissis ante Tomum ultimum Versionis suæ Septuaginta Interpretum editionis MDCCIX. cujus Paragraphum 3. integrum verbo tenus hîc repetemus.

1, §. 3. Psalmos Davidis in specie quod attinet, hisce

varia

„ varia in Codice noſtro præfixa exſtant. Et primò
„ quidem Sancti Athanaſii Epiſtola ad Marcellinum,
„ quæ inſignem Pſalterii excellentiam atque ſingula-
„ rem Pſalmorum variis in caſibus uſum demonſtravit.
„ Atque hanc ipſe Sanctus Athanaſius προέταξεν ἐν
„ τῇ βίβλῳ τῶν Ψαλμῶν τῆς ἑρμηνείας, *Interpretationi Pſal-*
„ *morum præpoſuit:* ut à Synodo Nicæna II. Tomo
„ VII. Conciliorum Labbei Act. VI. col. 510. me-
„ moriæ proditum eſt. Aſt ſive vera, ſive falſa ſit tra-
„ ditio iſta, ipſius tamen Sancti Patris ævo vel paulò
„ poſt, Librariis ſolemne fuiſſe, ut laudatam Epiſtolam
„ ipſi Pſalmorum libro velut Εἰσαγωγὴν aut Prodromum
„ præmitterent, Alexandrini Codicis exemplum oſten-
„ dit. Cæterum licet in pluribus S. Athanaſii editio-
„ nibus ac in poſtrema celeberrimi Montfaucon
„ omnium optimâ Tomo I. parte 2. pag. 982. ad 1003.
„ iſte ad Marcellinum libellus Græcè & Latinè ſit ex-
„ cuſus: cùm tamen ex antiquiſſimis ac Sancto Patri
„ coævis ferè membranis noſtris, haud parum correc-
„ tiorem ac pleniorem, ut conferenti patebit, hîc
„ denuo edere placuit, abſque Latina tamen verſio-
„ ne, &c. Quibus ex verbis conſtans eſt Erneſtum Grabe aſſeruiſſe duo, *primum* Epiſtolam hanc fuiſſe genuinam ac veram Athanaſii Alexandrini operam, non autem ipſi ſpuriam atque ſuppoſitam: *ſecundum* illam edidiſſe *ex antiquiſſimis ac Sancto Patri coævis ferè membranis correctiorem ac pleniorem:* quæ duo cùm falſa ex prædictis noſtris ſint, Erneſtum Grabe in criterio infelicem prorſus fuiſſe oſtendunt.

5. Non tantùm autem in duobus errat, quod humanum eſt: ſed quod pejus eſt, ad patrocinium erroris ſui oſcitanter & imprudenter allegat Monachos Benedictinos ultimos Operum S. Athanaſii, Alexandriæ Archiepiſcopi editores ac Scholiaſtas, quibus cæteros inter primarius ac princeps fuit Bernardus de Montfau-

faucon ; plurimis in lucem eductis notissimus. Tantum porro abest, ut ipsi erranti patrocinentur Benedictini editores, ut potius errantem corrigant, in adversam Grabio opinionem venientes ; *Epistolam* ab illo iterum recusam licet Græcè tantùm, *sub Sancti Athanasii nomine ad Marcellinum*, ut adulterinam vel suppositiciam taxantes. Equidem Tomo 3. Operum S. Athanasii in Admonitione ad *Syntagma Doctrinæ ad Monachos, omnesque Christianos tam Clericos quàm Laicos*, quod Anno 1685. edendum curavit Andreas Arnoldus Nurenbergensis, ac Benedictini Monachi pag. 360. ad 364. recuderunt : observant Monachi iidem pag. 360. sub Admonitionis finem, multa spuria jamdudum fuisse Sancto Athanasio Alexandriæ Archiepiscopo attributa his verbis : *In Synodis quandoque S. Athanasii nomine Opera laudantur, quæ tamen Athanasii non esse constat : ut videre est in secunda Synodo Nicænâ, ubi Historia Imaginis Berytensis ad verbum legitur, quam nemo non fatetur Athanasio abjudicandam : quod potiori ratione de subsequentium sæculorum Synodis æstimandum. Multa certè extant spuria Opera, quæ sexto vel septimo sæculo exarata sunt, quæque à posterioribus inde Synodis Auctoribusque laudari potuerint.* Non itaque mirum esset, si Monachi Benedictini, qui ita prudenter locuti leguntur in Operum S. Athanasii Censura, Epistolam à Grabio Græcè recusam ex Codice MS. Alexandrino, suppositionis vel spurietatis accusassent, notamque atrociorem illi præfixissent, quamvis ab illa abstinuerint. Non dubitarunt tamen tum in Censura *Epistolæ huic ad Marcellinum* præmissa, tum in Præfatione Generali Operibus prævia, capite *De Libris Sancti Athanasii amissis*, affirmare *Epistolam veram S. Athanasii ad Marcellinum* fuisse amissam.

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

Codicem MS. Alexandrinum non fuisse scriptum ante sæculum Ecclesiæ decimum.

JAm supereſt, ut quonam sæculo Codex MS. Alexandrinus, qui Diſſertationis hujus argumentum facit, ſcriptus fuiſſe cenſendus ſit: quam quæſtionem non aliter niſi ex conjecturis ſolvere humanæ rationi datur.

1. Diximus capite præcedenti *Epiſtolam genuinam ac veram Sancti Athanaſii ad Marcellinum* fuiſſe ſuperſtitem adhuc ſæculo Eccleſiæ octavo, nempe ſub finem hujus ſæculi, ætate Synodi Nicenæ ſecundæ Anno 787. convocatæ, in tantum ut Synodus iſta Tomo VII. Conciliorum editionis Labbeanæ Act. VI, col. 540. *ſymbolam* Epiſtolæ hujus veræ ac ſinceræ illic afferat; id quod Erneſtus Grabius non animadvertiſſe videtur. Exſtabat igitur, ex ſymbola iſta allegata à Concilii Patribus, vera illa Epiſtola Sancti Athanaſii ad Marcellinum ſub ſæculi octavi finem, quod ipſam allegat & excerpit. Neceſſum ergo eſt, periiſſe illam ſæculo Eccleſiæ nono, unde concludimus adulterinam illam atque Sancto Doctori, etiam ex conſenſu Monachorum Benedictinorum, ſuppoſititiam, juxta editionem Operum S. Athanaſii Pariſienſem ultimam Anno 1698. Tomis III. Græcè & Latinè accurato & caſtigatiſſimo labore procuratam: *Epiſtolam* inquam illam, *ſpuriam* ſcriptam fuiſſe ſæculo Eccleſiæ tantùm decimo, atque ſubſtitutam fuiſſe in locum genuinæ ac veræ, quæ ſæculo nono excideraț.

2. Longè autem ante ſæculum Eccleſiæ decimum, Opuſcula multa fuiſſe Sancto Athanaſio Alexandriæ Archie-

chiepiſcopo ſuppoſita, diſertè nos docent eruditi Benedictini Monachi, Tomo III. Operum Athanaſii à ſe illuſtratorum, in Admonitione ad *Syntagma doctrinæ ad Monachos omneſque Chriſtianos tàm Clericos quàm Laïcos*, ut cap. jam præcedenti diximus, quod Anno 1685. edendum voluit Andreas Arnoldus Nurenbergenſis, ac Benedictini pag. 360. ad 364. Monachi recudendum voluerunt, ne nihil in editione ſua deeſſet, quod ſub Sancti Athanaſii nomine alicubi antea prodiiſſet. Obſervant igitur pag. 360. Monachi iidem, ſub *Admonitionis* finem, multa ſpuria jamdudum fuiſſe S. Athanaſio attributa his verbis: „ In Synodis quandoque S. „ Athanaſii nomine Opera laudantur, quæ tamen Atha„ naſii non eſſe conſtat: ut videre eſt in ſecunda Sy„ nodo Nicæna, ubi Hiſtoria Imaginis Berytenſis ad „ verbum legitur, quam nemo non fatetur Sancto A„ thanaſio abjudicandam, quod potiori ratione de ſub„ ſequentium ſæculorum Synodis æſtimandum. Multa „ certè exſtant ſpuria Opera, quæ ſexto vel ſeptimo ſæ„ culo exarata ſunt, quæque à poſterioribus inde Sy„ nodis Auctoribuſque laudari potuerunt. Cùm ergò fateantur illi *ſæculis ſexto ac ſeptimo*, ut patet ex hac Hiſtoria Imaginis Berytenſis, multa ſpuria à Græcis ſub nomine S. Athanaſii conficta fuiſſe: illud potiori jure dicere poſſumus de *Epiſtola S. Athanaſii ad Marcellinum*, quod ſæculo decimo conficta & in locum genuinæ, quæ ſæculo octavo adhuc exſtabat, ſubſtituta fuerit.

3. Sæculum Eccleſiæ decimum ſuppoſitioni Operum faciendæ oportunum maximè fuit & commodum, ob obſcuritatem ac profundam utriuſque tunc temporis Eccleſiæ tàm Orientalis quàm Occidentalis ignorantiam. Tantæ enim tunc tenebræ in Eccleſiaſticis viris, tantus torpor, ut eruditiſſimi cenſerentur illi, qui ſcribere ac legere noſcerent. Nullus hoc ſæculo Scriptor vel aliquanti nominis, nec præter Legendas aliquas huic oſci-

oſcitantiæ convenientes, aliquid reperias in Bibliothecis, quod à Benedictinis eruditis ad Spicilegium deſcribi & in lucem publicam afferri poſſit. Cùm ignorantia & ignavia potiſſimæ Clericorum dotes eſſent, qui celebriores hoc ſæculo credebantur, cùm per ſe aliquid momenti facere non poſſent, *Catenas ex antiquiorum Patrum excerptis ac laciniis* faciebant, de quibus eruditè loquitur Joannes Albertus Fabricius Tomo VII. *Bibliothecæ Græcæ* lib. v. cap. XVII. *De Catenis Græcorum Patrum* latiſſimè multiſque capitulis ſeu ſectionibus à pag. 730. ad 790. &c. nullum enim iſtorum qui Catenas Græcas facerent ſæculo decimo anteriorem profert. Sæculo igitur iſto decimo ignariſſimo *Epiſtolam S. Athanaſii ad Marcellinum adulterinam ac ſuppoſititiam* adſcribimus, quam Græculi tunc temporis in locum genuinæ ſubſtituerint.

4. Tandem Codicem MS. Alexandrinum, fuiſſe ſcriptum à Monacho Acœmeto atque ad uſum Chori ſeu Eccleſiæ Acœmetorum Alexandrinæ docuimus, ut patet ex Diſſertationis hujus cap. 8. itemque ſæculo decimo Codices MSS. litteris uncialibus adhuc fuiſſe ſcriptos, ex teſtimonio Bernardi de Montfaucon Benedictini Monachi in *Palæographia* lib. 3. cap. 6. pag. 231. quod Diſſertationis hujus cap. 5. attulimus, atque hîc iterum repetimus.

„ Multi Codices hujuſmodi, charactere videlicet „ unciali oblongo & deflexo, ad uſum Chori & Offi„ cii Eccleſiaſtici exarati, variis in Bibliothecis ex„ ſtant, qui ad inflexiones vocum, in Officio Eccle„ ſiaſtico obſervari ſolitas, notulas quaſdam & lineo„ las variæ formæ exhibent, ut in ſequentibus exem„ plis animadvertas. Hi verò, nempe ad uſum Cho„ ri deputati Libri, non octavo tantùm & nono, ſed „ etiam decimo ſæculo, fortéque poſteriùs, litteris „ uncialibus oblongis ac plerumque reclinatis ſcripti

„ compositiuntur. Tunicque ætas petitur ex notis mar-
„ ginalibus aut aliis, quæ subinde charactere ligato
„ interferuntur, ut infrà dicetur de Codice quodam
„ Evangeliorum, charactere unciali descripto. Secus
„ autem de aliis exemplaribus manuscriptis, sive sanc-
„ torum Patrum, sive aliorum: nullum enim hactenus
„ vidi, unciali charactere exaratum, quod post nonum
„ sæculum descriptum feratur, licèt multos decimi sæ-
„ culi Codices evolverim, in quibus scriptionis annus à
„ Καλλιγραφῳ sive Librario notatur. Agnoscit itaque in
hoc studiorum genere versatissimus Bernardus de Monte-
falconis, Codices MSS. uncialibus litteris scriptos, ad
usum Chori seu Ecclesiæ exaratos, exstitisse *usque ad sæculum decimum fortèque posteriùs*: qualem fuisse Codicem MS. Alexandrinum, de quo loquimur, suprà probavimus.

CAPUT UNDECIMUM.

De quibusdam Operibus aliis Joannis Ernesti Grabe.

PRæmissimus Dissertationi huic velut Prologum quendam, laudationem quandam Joannis Ernesti Grabii, quam contexuit Georgius Hickesius S. Theol. Doctor, editam in Actis Eruditorum Lipsiæ Anni 1713. mense Augusto pag. 165. ne quid in ejus cinerum commendationem omissum à nobis crederetur. Nobis enim intentio non est, ut cineres mortui hominis inquietentur atque magis nigrescant, ex rumoribus de illo sparsis, homine litterato non decentibus neque convenientibus, quos habuimus à plurimis qui illum in Anglia familiarius frequentarant, intimiúsque noverant, quorum

rum alius Boruſſus, alter Germanus, ac tertius Gallus. Teſtabantur autem omnes, quòd Grabius è Boruſſia in Angliam trajiciens, prudenter ſibi conſuluiſſet, ſi Ventrem in Germania relinquere potuiſſet. Hickeſius porrò hominem laudat, quòd Opuſcula multa editioni parata poſt mortem reliquerit, quibus Reſpublica litteraria ornari & erudiri poſſet.

1. Prolixius aliquanto recenſetur aliud Grabii MS. ſub titulo, „ *Anglicanæ Eccleſiæ Prærogativæ præ aliis* „ *Proteſtantium cœtibus in præxi & doctrina.* Verbi „ gratiâ, ut aliqua memoremus in Hierarchia Eccle„ ſiaſtica, in celebratione Euchariſtiæ, in adminiſtra„ tione Confirmationis per χειροθεσίαν ex Hebræorum „ cap. 6. verſ. 2. in ritibus quibuſdam commendatis, „ ut ſunt pag. 167. immerſio baptizandorum, jejunium „ quadrageſimale &c. in moderatione circa formandos fidei articulos, in reſtitutione præcepti ſecundi „ de imaginibus, in articulo de juſtificatione & præ„ deſtinatione 2. verſ. 1. *Quanquam & his omnibus ad*„ *diderit ſigillatim deſiderata.* Hæc Hickeſius. Debebat nobis dare ſpecimen Reformationis illius Eccleſiæ Anglicanæ à Grabio faciendæ Doctor Hickeſius, nec his contentus eſſe, *Quanquam & his omnibus addiderit ſigillatim deſiderata.* Hac enim re cognoviſſemus dubio procul tranſverſum Grabii cerebrum, qui forſan cùm vino adufto plenus eſſet, Reformationem hanc Eccleſiæ Anglicanæ ſupino ventre conſcripſerat. Nullos video qui majore reformatione egeant, quam qui reformandos alios volunt. Quandiu Grabius in Anglia fuit, Anglicana Reformatio ab ipſo incipienda fuit, illeque impediendus, ne vino adufto ad ſatietatem impleretur, nec opus erat reformatione nova, cùm Apoſtolus dicat *Epheſ.* 5. verſ. 18. *nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Dolemus ergo quòd hanc *Reformationem Anglicanæ Eccleſiæ* à Grabio projectam Hickeſius Orbi litterario in-

viderit. Unum ſcio, ingluviem hanc Grabii ſummè diſplicuiſſe Anglis omnibus ac Gulielmo Cavo homini ſobrio & temperanti, quem Grabius *fautorem ſuum ac patronum* vocat, cujus auſpiciis penſionem ab Anna Regina Boruſſus noſter obtinuerat. Relatum mihi à Sociis, qui Grabium illum apprimè noverant, qui tam acriter contra Guillelmum Whiſtonum Arianum pugnavit & ſcripſit, credidiſſe Chriſtianiſmum omnem fuiſſe fabulam meram, cui nihil intererat, quamvis opinionem illius amplecteretur aut ſimularet, dummodo lautiùs inde veſceretur, aut famam doctrinæ captaret. Unde memoria illius poſt mortem frigidè ab Epiſcopis Anglicanis defenſa fuit, qui Manuſcriptorum omnem illius collectam Sectæ cuidam Philadelphorum Londinenſi lubentes reliquerunt.

2. Opuſculum ex primis quo ſibi nomen fecit, *Spicilegium Patrum atque Hæreticorum ſæculorum* I. II. III. *poſt Chriſtum*, 2. voll. in 8. Oxonii Anno 1698. quod cùm ad votum Bibliopolæ venditum non fuiſſet, ut incautos falleret, Anno 1714. Editionem illius alteram in Nuntiis litterariis inſerùit, quam refert Samuel Maſſon in Hiſtoria Critica Reipublicæ litterariæ Tomo VII. pag. 428. his verbis: „ On vient de publier pour la „ ſeconde fois le *Spicilegium Patrum* de M. Grabe. *Spi-* „ *cilegium SS. Patrum ut & Hæreticorum ſæculi poſt* „ *Chriſtum natum* I. II. III. *quorum vel integra monu-* „ *menta, vel fragmenta, partim ex aliorum Patrum Li-* „ *bris jam impreſſis collegit, & cum Manuſcriptis contulit,* „ *partim ex MSS. primùm edidit, ac ſingula tam Præ-* „ *fatione, quam Notis ſubjunctis illuſtravit Joannes Er-* „ *neſtus Grabius. Editio altera, priore auctior & emen-* „ *datior* in 8. 2. voll. Quoiqu'on nous aſſûre, que cette Edition eſt augmentée, elle ne contient néanmoins que le même nombre de pages que la précedente, & le caractere eſt auſſi le même: de ſorte

„ qu'il

„ qu'il faudra dire, que l'Auteur a autant retranché „ de la prémiere Edition, qu'il y a ajouté. Ce ſont là „ de ces fineſſes, pour ne me pas ſervir d'un terme „ plus fort, ſi ordinaires aujourd'hui dans la Librairie. Hæc Bibliopola Oxonienſis ut incautos, ad emendum tergiverſantes vel tardos, ad officinam ſuam ſub Editionis ſecundæ appellaret mendacio, qui primam hucuſque ab annis licèt quindecim factam vendere non poterat. Idem ille fuit qui Anno 1712. Henrici Clementis nomine Opuſculum edidit ejuſdem Grabii contra Whiſtonum in 8. curis ac ſtudio Georgii Hickeſii, de quo nos in Prologo Diſſertationis hujus abundè diximus.

3. Curant tamen Bibliopolæ Angli illi, ut incœptam ab Erneſto Grabio Verſionem Septuagintal Interpretum Veteris Teſtamenti ex Codice MS. illo de quo egimus Alexandrino perficiant, atque aliis duobus Tomis in folio edant, lucrum aliquod dubio procul hinc ſperantes, quibus non obſiſtemus. Conſtat id ex Novellis litterariis apud Hagam Comitis Sabbato 20. Februarii 1717. pag. 136. his verbis: „ Monſieur Leé, Medecin „ & Miniſtre de la Secte des Philadelphes, s'eſt char- „ gé du ſoin d'achever ce qui reſte de l'Edition des Sep- „ tante Interpretes, qui avoit été commencée par M. „ Grabe. Elle ſera en 2. voll. in folio & 4. voll. in 8. „ Monſieur l'Evêque de Briſtol a rendu le Manuſcrit „ entier de ce Livre, tel que M. Grabe l'a laiſſé, avec „ un grand nombre d'additions & de corrections. Chez Henry du Sauzet à la Haye, qui a déjà parlé deux fois de ce deſſein, dans ſes Nouvelles litteraires précedentes.

Hæc de Codice Alexandrino MS. qui Diſſertationi noſtræ conſcribendæ occaſionem obtulit, itemque de Verſione Veteris Teſtamenti Septuagintal Interpretum ex hoc Codice MS. petita ac incœpta, deque illius perfectione facienda à Philadelphis, quibus ſucceſſum omnem optamus ac gratulationem omnium. Non video

men quid utilitatis Orbi litterario nasci possit, cùm in cap. 3. Dissertationis hujus dixerimus, Variationes omnes MS. Codicis Alexandrini haberi in Polyglottis Whaltoni, atque præmitti Editioni Septuaginta Interpretum Lamberti Bosii, quam Anno 1709. Franequeræ 2. Tomis in 4. edendam perfecit.

CASIMIRI OUDINI

DISSERTATIO SECUNDA

DE

QUÆSTIONIBUS AD

ANTIOCHUM PRINCIPEM

IN SCRIPTURAM SACRAM,

Quæ ſub Sancti Athanaſii Alexandriæ Archiepiſcopi nomine, in Operibus illius impreſſis omnibus, circumferuntur.

DISSERTATIO SINGULARIS

De Quæstionibus ad Antiochum Principem, quæ sub nomine Sancti Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi circumferuntur.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo hæ Quæstiones in editis S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi Operibus immissæ fuerint.

PRimus, qui Opera S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi Græcè & Latinè simul collecta typis evulganda curavit, is Commelinus Heidelbergæ, Anno 1600. 2 Vol. in folio, cum Versione Petri Nannii & aliorum, addita à *Petro Felcmanno* Appendice, Notisque ac Variantibus lectionibus ex Codice Doxopatri Basileensis, cum aliis MSS. collato. Græca autem in hac Editione expressa ex Codicibus Palatinis & Augustanis, quibus Indices egregii additi sunt: quam Editionem uti tunc perfectissimam Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* recenset. In hac Editione primùm ex MS. Codice Bibliothecæ Palatinæ Tomo 2. pag. 275. Græcè & Latinè exstant sub hoc titulo: Τῶ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπισκόπου Ῥήσεις καὶ Ἑρμηνείαι πρὸς Ἀντίοχον ἄρχοντα περὶ πλείστων καὶ ἀναγκαίων Ζητημάτων, ἃ ἐν ταῖς θείαις γεγραφαῖς ἐσκοτισμένων, καὶ παρὰ πᾶσι Χριστιανοῖς γινώσκεσθαι ὠφελιμίων. *Sancti Patris nostri Atha-*

nasii Alexandriæ Archiepiscopi Dicta & Interpretationes ad Antiochum Principem de variis & necessariis Quæstionibus in sacra Scriptura controversis, & omnibus Christianis cognitu necessariis. Quæstiones CXXXVI. Joanne Reuchlino, Valentino Ampelandro & Joanne Lampadio interpretibus. Pag. 323. Τῶ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπισκόπου Ῥήσεις ἢ Ἑρμηνείαι παραβολῶν τῶ ἁγίου Εὐαγγελίου. *Dicta & Interpretationes Parabolarum Sancti Evangelii Quæstionibus* CXXXIII. *totidemque Responsionibus.* Denique ibi pag. 375. ad 385. *Ejusdem Quæstiones aliæ* XX. ex eodem MS. Codice.

Ab hac Editione Heidelbergensi transierunt postea in Editionem Parisiensem Græco-Latinam omnium S. Athanasii Operum Anno 1627. Tomo 2. *Quæstiones ad Antiochum Principem*, sive *Responsiones* CXXXVI. *ad Quæstiones totidem* pag. 331. ad 395. *Dicta & Interpretationes Parabolarum Evangelii Quæstionibus* CXXXIII. *& Responsionibus totidem* pag. 396. ad 435. Item, *Ejusdem Quæstiones* XX. *aliæ* pag. 436. ad 450. Joanne Lampadio interprete. Hinc in Editionem Lipsiensem 1686. in fol. quæ Coloniæ nomen falsò præfixum habet, ac Parisiensem usque ad paginarum numerum refert, nisi quòd minùs emendata sit, atque adjunctum habeat *Syntagma doctrinæ* nomine Athanasii falsò inscriptum; quod Anno priore Andreas Arnoldus Norimbergensis Græcè & Latinè, ex MS. Codice Isaaci Vossii incertæ prorsùs fidei, Parisiis in 8. ediderat.

Anno tandem 1698. tribus in folio Voluminibus adducta fuit ad umbilicum Editio ultima Operum S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi omnium Græcè & Latinè, quæ Benedictinorum dicitur Congregationis S. Mauri in Gallia, ut habet Joannes Albertus Fabricius Tomo V. Bibliothecæ Græcæ lib. 5. cap. 2. pag. 300. in *Athanasio*. Aliis antecedentibus longè plenior & accuratior, diligenter ad MSS. Codices recensita, di-

distincta in Sectiones, & ordine temporum disposita, Versione in nonnullis locis novâ, in aliis antiquiore aliâ correctâ; Notis passim eruditis conspersa, pluribusque Opusculis novis sub S. Athanasii nomine MSS. aucta; Onomastico sive Lexico vocum minùs obviarum locupletata; Indicibus denique multis locupletissimis tàm vocum, quàm Scripturæ locorum perfectâ, ad Lectoris utilitatem & facilitatem. Hujus Operis si me *suggestorem* fuisse dicerem, non mentirer. Anno enim 1686. dum Parisiis eram, atque Benedictinis Congregationis S. Mauri familiaris & amicus, in Concilio Eruditorum ex ipsis actum fuit, ut quemadmodum Patribus Latinis de novo evulgandis cum applausu & successu incubuerant, idem quoque de Græcis Patribus tentarent. Cùm aliquando prolixiori colloquio Prior Sancti Germani tunc temporis me alloqueretur in Claustro, narrabat inter colloquendum, plurimos ex suis propendere, ut ab Editione Operum S. Joannis Damasceni, quem velut Scholasticorum Principem considerabant, ordirentur Græcorum Patrum telam. Ego in contrarium ob rationes multas, maximè ob judicium illius modicum, ob fabulas ab illo passim scriptas, ab eo iterum evulgando deterrebam. Esse autem ab Athanasio Alexandrino incipiendum, qui plura passus esset in Operibus post mortem, per plurium spuriorum vel indignorum intrusionem, quàm ab Arrianis, dum viveret, perpessus fuerat. Nullum esse ex Patribus Græcis, qui medicâ manu magis indigeret, ut sanus & adulterinis purus ederetur: quibus addi poterat, ipsum esse Græcorum omnium antiquissimum qui Nicænam fidem stabiliviſſet. Paucis à colloquio isto mensibus, Anno eodem 1686. disco à Benedictinis Patribus Bernardum de Montfaucon hujus Congregationis Monachum, in Græcis doctum, virum moribus & eruditione distinctum, fuisse designatum, ad Editionem novam

Ope-

Operum *S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi* omnium, Græcè & Latinè procurandam. Id ab Anno 1686. ad 1698. diligentiâ omni procuravit, omniaque cum Onomastico atque Indicibus ipsis confecit Vir doctus. Hæc ergo Editio ab Anno 1686. meditata ac perpensa, ab Anno 1690. prælo committi cœpit, sumtibus Joannis Anisson Bibliopolæ Parisiensis atque Typographiæ Regiæ Directoris, qui nullis pepercit expensis, ut illa prodiret correcta, perfecta, & quæ emptores ad eam sibi comparandam pulchritudine sua & majestate elegantiaque omni alliceret. Assignatus fuerat socius & adjunctus, Operis hujus promovendi comes, Jacobus Loppinus, qui Bernardo suppetias laboranti adferret, quem Dominus sibi adlegit Anno 1693. die 22. Decembris mortuum in procinctu Operis, unde moles laborque omnis hujus Editionis in humeros Domni Bernardi de Montefalconis devolutus fuit, cui per annos XII. cum omni diligentia vir laboriosus incubuit. Testatur id ipse Bernardus in Præfatione Generali ad universa Sancti Athanasii Opera Paragr. ultimo, quo *varia explicantur* pag. XXXVI. „ Ingemui ablatum mihi Sym-„ mystam meum Domnum Jacobum Loppinum, qui-„ cum initio hujusce Editionis dabamus mutuas ope-„ ras. Is vir dum ad mediam primi tomi partem de-„ veneramus, cùm præmaturâ morte abreptus, mihi „ summo dolori fuit. Vir Latinè & Græcè probè, Ebraïcè „ μετεώρως eruditus, in Philosophicis apprimè versatus, „ comitate & modestia jucundus sodalibus. Hæc de „ nostris morte sublatis dicenda nobis erant. Τὸ δὲ γί-„ γεσθαι τῶν θανόντων. Addo & tertium duobus his adjunctum fuisse, Antonium Pouget Benedictinum Congregationis ejusdem Monachum, qui *Vitam Sancti Cyriaci Anachoretæ*, *Lauræ Sancti Sabæ*, Anno Christi 557. defuncti, quæ Latinè apud Lipomannum Tomo VI. & Surium ad diem Septembris XXIX. exstabat, ad Græcam Linguam

guam primigeniam retulit, Τὸν εὐλογοῦντάς σε, cum tribus Colbertinis MSS. collatam, in *Analectis Græcis* per Monachos Benedictinos Anno 1688. Parisiis in 4. editis, pag. 100. ad 127. atque alia etiam in iisdem evulgata, ex Græcis educta, in Latinam Linguam transtulit. Quemadmodum igitur tres fuerant ex Congregatione ista Monachi, qui operam conjunctam in S. Augustini Editione nova facienda contulerant: ita ternarium quoque Symmystarum numerum, in Editione ultima Operum S. Athanasii omnium, definiverant. Jam quomodo hæc Opuscula S. Athanasio Alexandriæ Archiepiscopo attributa, in hac Benedictinorum Editione habeantur, videamus. Tomo 3. pag. 268. *Quæstiones ad Antiochum Principem, sive Responsiones ad Quæstiones* CXXXVI. quarum ultima non contemnendis adversus Judæos argumentis disputat. Ex quibus quadraginta Latinè vertit, & cum Annotationibus suis edidit Joannes Reuchlinus Hagenoæ 1519. in 4. Romæ 1523. alias Valentinus Ampelander & Joannes Lampadius interpretati sunt.

Dicta & Interpretationes CXXXIII. *Parabolarum Evangelii* pag. 311.

Quæstiones aliæ XX. *cum suis Responsionibus* pag. 335. Præmissa in hac Editione pagina 252. Διδασκαλία seu *Doctrina ad Antiochum Ducem* πρὸς Ἀντίοχον Δοῦκαν, sive δεχόντα, quam primùm Græcè ex Codice MS. Colbertino 4249. Jacobus Loppinus edidit, adjunctâ Latinâ Versione & brevibus Notis. Item pag. 264. *ad eundem Antiochum de pœnis Inferni* Capitulum, itidem primò Græcè & Latinè à dicto Loppino editum. Atque hæc merito, sunt enim ejusdem Scriptoris Græci, cum Opusculis sequentibus. Denique *Breves Responsiones ad Quæstiones* XXXVI. *in Evangelia*, ex Codice Regio 2431. primùm editæ, tum Latinâ Interpretatione ejusdem Loppini pag. 306. donatæ, subjuncto pag. 310. Fragmento

to. ex quæstione 42. ad Antiochum, & Oratione 3. contra Arianos. Quæ omnia eundem Auctorem produnt, usque ad *Historiam imaginis Berytensis* pag. 344. Quæcunque igitur in hac Editione nova Athanasii à Benedictinis procurata tàm Tomo 2. quàm 3. comparent, sunt ex labore & interpretatione Jacobi Loppini, qui Editionis hujus cum sociis promotor fuit: quæ autem ex Italia retulit Bernardus de Montfaucon, inseruit *Collectioni Novæ Veterum Patrum*, in folio Parisiis Anno 1706. editæ Tomo 2. ut scribit in *Athanasio* Fabricius Tomo v. Bibliothecæ Græcæ pag. 316.

CAPUT SECUNDUM.

Quid celeberrimi nostræ ætatis viri de his Quæstionibus ad Antiochum scripserint.

NIhil ferè habet Philippus Labbeus in Dissertatione *De Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino recensitis, in *Athanasio Alexandrino* pag. 119. Tomo 1. sed Tomo 2. in *Addendis & Corrigendis* pag. 728. sequentia subjicit, quibus omnia illa suppositionis arguit. Sixtus Senensis libro IV. *Bibliothecæ Sanctæ* rejicit his verbis: *Quæstionum Veteris & Novi Testamenti locis ad Antiochum Principem liber unus continens Quæstiones* CLXI. *Athanasii non videtur.* Suspicor hunc ex variis Patrum scriptis collectum à studioso quopiam, qui in quæstione IV. Theologiam mysticam S. Dionysii Areopagitæ, sæculo, ut arbitror, Athanasii ignotam, allegat. Et quæstione 33. citat Athanasium ipsum, & ab eo diversam sententiam amplectitur. Videndi quoque ex nostris Maldonatus, Possevinus, Cornelius à Lapide, aliique: quæque supra in *Addendis* ex Leone Allatio diximus, de Justini

„ stini Martyris & Anastasii Sinaitæ Quæstionibus; ab „ aliquo posteriotis ævi Scriptore, multarum pariter „ additionum fermento locupletatis. Quibus verbis has Quæstiones inter suppositia S. Athanasio Opuscula accenset, post alios multos nominatos.

Guilielmus Cavus in *Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad Annum 326. pagina 141. ubi de Athanasio Magno Alexandriæ Archiepiscopo agit, plura, istis jam allatis, de his Quæstionibus pag. 146. non loquitur.

Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* Editionis Amstelodamensis in 4. Anno 1690. Tomo 2. pag. 35. ubi de *Athanasii Alexandrini scriptis* loquitur, pag. 60. in Notis adjectis ad Opera S. Athanasio impetata littera OO hæc habet. „ *Quæstiones ad Antiochum* „ & quæ sequuntur, adhuc recentiores sunt. In Quæ„ stionibus ad Antiochum, Auctor allegat plures Scri„ ptores Sancto Athanasio recentiores, ut Sanctum „ Gregorium Nyssenum in quæstione VIII. Scripto„ rem Librorum S. Dionysio Areopagitæ adscripto„ rum, ibidem: S. Epiphanium quæstione III. & plu„ res alios in aliis locis. Non sapiunt stylum S. Atha„ nasii, qui Quæstionum istarum Scriptor est, in mul„ tis locis contraria Sancto Athanasio sequitur. Tan„ dem temporibus Sancti Athanasii non erant in usu „ hæ Quæstiones, quæ magis curiosæ quàm utiles ha„ bentur. *Quæstiones sequentes de quibusdam dubiis in* „ *loca Veteris & Novi Testamenti*, & *aliæ Quæstiones* „ *Anonymæ*, ejusdem Auctoris sunt ac præcedentes. „ Excerpta sunt seu Collectanea desumpta ex Libris „ Sancti Chrysostomi, Sancti Cyrilli Alexandrini, S. Gre„ gorii Nysseni, Sancti Joannis Climaci, S. Maximi, „ qui aliquando sub eorum nominibus referuntur. Au„ ctor harum Quæstionum Occidentales nomine *Fran„ corum* appellat pag. 416. littera B. quæstione LXXIV.

ac

„ ac inquit *Romanos esse genus Francorum*, ἔθνη τῶν Ῥωμαίων ἦγον τὸ Φραγγῶν τὸ γένος: id quod ostendit Quæstiones „ istas à Græcis recentioribus compositas fuisse, ex „ quo Occidentale Imperium ad Francorum gentem „ Anno 800. & ultrà pervenit. Græci recentiores „ multas his similes Collectiones Quæstionum fecerunt, „ quas sub Patrum veterum ac celebrium nominibus ad „ nos transmiserunt. Hæc Dupinius, quibus Quæstiones istas sæculo IX. anteriores non esse ostendit.

Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* in 4. Hamburgi Anno 1712. edito, libro V. cap. 1. pag. 296. multis de Sancti Alexandrini Archiepiscopi Operibus disserit, pag. autem 308. *De Quæstionibus ad Antiochum*, sive Quæstiones & Responsiones CXXXVI. & pag. 309. *Dicta atque Interpretationes* CXXXIII. *Parabolarum Evangelii* &c. Item *Quæstiones aliæ* XX. *anonymæ* &c. De quibus nihil aliud dicit, „ quàm quod in prioribus Editionibus numerantur capita CXXXIII. quoniam in duo discerptum est caput „ LXXX. & LXXXIX. & CXIX. pleraque autem interpre„ tationum istarum excerpta esse ex Scriptoribus Atha„ nasio junioribus, ut Theodorito, & Quæstionibus ad „ Antiochum, & Chrysostomo. Confer quæstionem „ CVII. in prioribus Editionibus CIX. cum Homil. 10. „ Chrysostomi in Epistolam 2. ad Timotheum.

Nullus autem qui diligentiâ majori judicioque solidiori de *Quæstionibus istis sub nomine Sancti Athanasii Archiepiscopi Alexandrini ad Antiochum Principem* pronuntiavit, quàm Jacobus Loppin Operum Sancti hujus Editor ultimus atque illustris Scholiastes in Admonitione ad Quæstiones CXXXVI. priores Tomo 3. Operum Græco-Latinorum pag. 251. qui illas Athanasio Magno indignas his verbis agnoscit: „ Tertiò occur„ runt Quæstiones ad Antiochum, quæ jamdiu inter „ Athanasii edita comparent, nec primùm ut jam

„ ex-

„ exſtant compoſitæ ſunt: ſed cùm pauciores numero
„ olim fuerint, nec plures XXXV. in veteribus Latinis
„ editis & in quibuſdam Manuſcriptis, in aliis verò
„ XLI. jam exſtant numero CXXXVI. Librariis Quæſtiones
„ novas ſemper addentibus, unde fit ut Codices multum
„ inter ſe varient. Porro conſpicuum planè eſt, has
„ Quæſtiones non eſſe S. Athanaſii, ſed nonnullas ex
„ variis Auctoribus hinc inde excerptas fuiſſe, alias à
„ variis Scriptoribus compoſitas: unde factum, ut ali-
„ quæ exſtent aliis præſtantiores elegantioreſque, nec
„ indignæ quæ legantur. Imò ex ipſo Athanaſio quæ-
„ dam huc tranſlata deprehenduntur. Pro facultate
„ nos Scriptores ad marginem annotavimus, unde il-
„ læ excerptæ ſunt. Hinc liquet, alias eſſe aliis antiquio-
„ res, ut jam diximus. Quòd verò nonnulli νοθείας
„ argumentum ex eo mutuantur, quòd aliqui Patres
„ Athanaſio ætate inferiores hîc memorentur, non
„ tanti eſt momenti, cùm videlicet ea loca, quibus af-
„ feruntur illi Patres, in antiquiſſimis Codicibus non
„ exſtent. Verùm aliunde luce clarius commonſtra-
„ tur, non eſſe illas Athanaſii, 1. ex orationis genere
„ impolito & ineleganti, utplurimum ſaltem: nam
„ ſibi ſtylus minimè conſtat, quia multa ex variis Scri-
„ ptoribus tacito nomine excerpta ſunt. 2. ex nugis
„ compluribus, quas quiſque facilè animadverſurus eſt.
„ 3. ex iis quæ de Imaginibus earumque cultu Quæſtione
„ XXXIX. dicuntur pag. 277. Nam licèt, Euſebio te-
„ ſte, plurimi ſuo tempore Apoſtolorum imagines de-
„ pictas apud ſe cum honore retinerent, non ita fre-
„ quens tum imaginum erat uſus. Ex multis denique
„ aliis, quæ proferre non juvat, ne apertiſſimæ rei com-
„ probandæ diutiùs æquo immoremur. Cæterùm,
„ quod ſpectat Quæſtiones XXX. & XXXI. de Angelis
„ & quæ ad argumentum noſtrum nihil faciunt, omit-
„ tentes.

Item in Admonitione ad Quæstiones secundas seu posteriores pag. 311. hoc titulo inscriptas, Τῶν ἁγίων Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας Ῥήσεις καὶ Ἑρμηνείαι παραβολῶν τοῦ ἁγίου Εὐαγγελίου, *Sancti Patris nostri Athanasii Archiepiscopi Alexandriæ Dicta & Interpretationes parabolarum sancti Evangelii.*

„ Liber hîc adferre quæ Felckmannus in hasce Quæ-
„ stiones annotavit, in variis Lectionibus pag. 90. ubi ait:
„ *Subjiciuntur hæc immediatè Quæstionibus ad Antiochum*
„ *in Palatino Codice, quem nunc* 11. *dicimus, absque Au-*
„ *ctoris nomine: unde factum est, ut ab Interprete veteri*
„ *Quæstionibus jungerentur. Cæterum Codex nonnullibi*
„ *& lacunosus, & non satis emendatus est, quare cui me-*
„ *lior obtigerit, quæ videbuntur supplere aut emendare*
„ *poterit.* Hinc liquet hasce Quæstiones, nedum A-
„ thanasii sint, nec Athanasii quidem nomen præfer-
„ re in Codicibus MSS. Et verò trigesima sexta no-
„ men præfert Chrysostomi: trigesima verò septima
„ nomen Cyrilli: vigesima octava est Theodoreti, ta-
„ cito tamen ejus nomine. Quæstiones verò in Pen-
„ tateuchum, quæ incipiunt à quadragesima septima,
„ magna ex parte sunt Theodoreti, ut suis locis an-
„ notamus. Hinc verò perspicuum excerptas ex mul-
„ tis Auctoribus & in unum coactas esse has Quæstio-
„ nes. Atque ex iis quæ de Francis leguntur Quæstio-
„ ne 76. pagina 323. videntur in unum corpus reda-
„ ctæ, post expeditiones Francorum in Orientem, nisi
„ fortè Francorum nomen ibi adjectitium sit.

Denique in Admonitione ad Quæstiones xx. seu ultimas pag. 335. hoc titulo inscriptas, Τῶν ἁγίων Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας ἑτέραι τινὲς Ἐρωτήσεις, *Sancti Patris nostri Athanasii Archiepiscopi Alexandriæ Quæstiones quædam aliæ.* „ In hasce
„ Quæstiones hæc habet Felckmannus in variis Lectio-
„ nibus Commelinianis pag. 90. *Hæ quia in Codice* 11.
„ *quo*

„ *quo in Tomo* I. *usi sumus, plane (Symbolo excepto) ad finem*
„ *Operum D. Athanasii inventæ sunt, ideo positæ hic*
„ *sunt, licèt & nomine Auctoris & titulo carerent. Quod*
„ *si divinare liceat, putarim ego Auctorem vixisse post ex-*
„ *orta certamina inter Latinam & Græcam Ecclesiam,*
„ *ut patet ex pagina* 353. A. Ubi errat Felckmannus,
„ homo alias accuratissimus, dum ait ad pag. 353.
„ Commelinianæ Editionis, aliquid controversiarum
„ apparere Græcos inter & Latinos. Nihil enim ibi ex-
„ stat ejusmodi, nec pag. 353. ad has Quæstiones per-
„ tinet, sed ad præcedentes. Puto annotare voluisse
„ Felckmannum, quæ de Francis dicuntur, non in
„ hisce Quæstionibus, sed in præcedentibus, Quæstione
„ 76. Habentur porro hæ Quæstiones in duobus Co-
„ dicibus Regiis, nimirum in 2358. ubi consequenter
„ ponuntur post Quæstiones ad Antiochum, & mul-
„ tum variant ab editis, & Codice 2459. Cæterum
„ nemo erit, qui Athanasium tantarum nugarum pa-
„ trem esse suspicetur. Hæc Jacobus Loppin de his
Quæstionibus, quas magno Athanasio indignas rectè ar-
bitratur: sed convenientes esse arbitror illi Athanasio
juniori, LXXVI. Alexandriæ Archiepiscopo, sæculi XIV.
Scriptori. Nam tunc temporis Scriptoribus omnibus
nugari licitum & solitum erat.

CAPUT TERTIUM.

Has Quæstiones esse sæculis XII. *& seq. posteriores, & Expeditionibus Occidentalium in Palæstinam & in Orientem Religionis causâ susceptis.*

TAntum porrò abest ut hæ Quæstiones & Responsiones inter Opera magni Athanasii Alexandriæ

Archiepiscopi conjectæ, ad ipsum verè pertineant; ut posteriores sint Expeditionibus Occidentalium omnibus, quæ sæculis 12. & 13. ab Anno 1096. ad 1270. susceptæ sunt, seu Cruciatis factis in Orientem & Palæstinam, ad Saracenorum ab his locis expulsionem. *Prima istarum Expeditionum* decreta fuit Anno 1096. in Concilio Claromontano ab Urbano II. Romano Pontifice, quæ, præparatis omnibus ad id necessariis, susceptа Anno 1098. sub Godefrido Duce Bullionensi, qui Anno 1099. Hierosolymam à Saracenis ab Anno 636. per annos 463. continuos occupatam eripuit, atque Anno 1100. Heroſolymitanus Rex ab Occidentalibus Crucesignatis salutatus est, cujus posteri regnum usque ad Annum 1187. atque amplius conservarunt, mediantibus Occidentalium auxiliis & expeditionibus. Hoc enim Anno Guido capitur à Saladino Ægypti Sultano, & Hierosolyma ab Occidentalibus amittitur. *Secunda Expeditio* Occidentalium ad Palæstinæ occupatæ conservationem facta fuit Annis 1147. & 1148. sub Eugenii III. Romani Pontificis regimine, cujus instantiâ facta à Gallis potissimùm, Bernardo Claræ Vallis Abbate, plurimisque aliis Gallicanæ Ecclesiæ Episcopis & Abbatibus Expeditionem hanc uti necessariam & fidelibus salutarem urgentibus & inter concionandum annuntiantibus. Cujus ope contigit, ut Regnum Hierosolymitanum ac Palæstina Occidentalibus Crucesignatis conservarentur. Cùm autem stipendio Crucesignati ordinario destituerentur, hinc fiebat ut milites, qui Palæstinam servabant, multis insolentiis, vexationibusque, atque aliis militaris licentiæ capitibus Palæstinos vexarent, in tantum, ut Saracenos Christianis occupantibus præferrent, sub quibus majori pace exactionibusque minoribus fatigati, tranquillius vitam ducebant. *Tertia Expeditio* Occidentalium in Palæstinam Anno 1188. contigit post Hierosolymam à Saladino Ægypti Sul-

Sultano receptam à Cruciatis. Nam Guilielmus Tyri in Syria Archiepiscopus & Cardinalis Albanensis, Romanæ Sedis Legati, in Galliam venientes, de pace inter Philippum Augustum Franciæ Regem & Henricum II. Angliæ sollicitant, ut mediante inter utrumque regnum concordiâ, Occidentalibus in Palæstina ex clade attritis, per Gallos & Anglos simul junctos, succurri posset. Alia hujus Expeditionis persequi tàm prospera quàm adversa, nostri non est instituti. *Quarta Expeditio* Occidentalium Anno 1195. post mortem Saladini, qui Hierosolymam urbem occupaverat, suscepta fuit. Cælestinus Papa III. cùm auxilium nec ex Francia vel Anglia ullum exspectare posset, Legatum misit ad Henricum VI. Imperatorem, qui intentionem suam de bello sacro in Conventu Imperii generali Vormatiæ declarans, Crucem cum omnibus tàm Sæcularibus quàm Ecclesiasticis Principibus illuc convenientibus assumpsit, ac tres exercitus numerosos conscripsit, quorum primus iter terrestre rectà versùs Constantinopolim suscepit, hinc perrexit Antiochiam, Tyrum, Ptolomaïdem seu Acconam. Cúmque Occidentales contra Infideles pluribus prœliis superiores fuissent, multasque urbes occupassent, nuncio tristi ex Germanicis partibus de morte Henrici VI. Imperatoris adveniente apud Palæstinam, id Principes Crucesignatos compulit, ut ad Imperium quantocius re infectâ reverterentur. Hoc cum magno Syriæ & Palæstinæ incolarum gaudio contigit, qui à Germanis ita vectigalibus aliisque militaribus Crucesignatorum vexationibus opprimebantur, ut Saracenos Christianis longè præferrent. *Quinta Expeditio* Anno 1198. jussu & hortatione Innocentii III. Papæ suscepta scribitur. Cùm enim valde necessarium esse arbitraretur succurrere Occidentalibus, qui Palæstinam seu Terram Sanctam occuparant, tantum egit epistolis suis & admonitionibus, ut Franci cum Venetis juncti,

classe validâ instructâ, in Orientem, rectâ viâ Constantinopolim, appellerent, ac Imperii Orientalis caput terrâ marique strictâ obsidione cingerent. Occupata autem ab Occidentalibus seu Latinis, Francis ac Venetis, Anno 1204. die 12. Aprilis, sub conditionibus, quas victores minimè observarunt, tantumque fœvierunt in Græcos illos Imperatores, Latini oppressores, ut Imperium sibi assumpserint, ac Balduinum Flandriæ Comitem Orientis Imperatorem die 31. Maji hospites novi coronaverint ac salutaverint. Incredibile est quot injurias, excessus militares, rapinas, Crucesignati devoti, in Constantinopolitanos Græcos commiserint. Optimus is erat, qui se pessimum exhibebat: quæ omnia ex Nicetæ Choniatæ *Historia Byzantina* cognosci possunt: tantum enim Christiani Itali & Franci in Græcos Christianos insanierunt atque debacchati sunt, ut Constantinopolim deserere Imperatores Constantinopolitani compulsi fuerint, atque Imperii sedem Hadrianopoli ad Annum 1260. constituere, quo illuc tandem exsules redierunt, postquam urbem regiam occupassent Latini hospites. Describam quæ refert Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* lib. 7. pag. 405. de urbis direptione & de statuis & monumentis post captam per Latinos Constantinopolim eversis & conflatis, quæ libro XXI. Historiæ *de Balduino Flandro* sub extrema capitis 3. exstant: „A primâ statim quod ajunt „ lineâ, insitam genti avaritiam ut demonstrarent Latini, genus excogitant rapinæ novum, & omnibus hactenus Reginæ urbium direptoribus incognitum: Imperatoriorum enim vasorum thecas, quotquot sunt in „ Heroo prope magnum sanctorum Christi Discipulorum templum, universas de nocte exspoliant, & præter „ omne fas in sinum sinum rapiunt, quidquid unquam „ auri mundi, vel margaritarum, crystallive, aut gemmarum adhuc incolume servatum in illis condeba-

„ tur,

„ tur. Invento autem cadavere Juſtiniani Imperatoris, „ quod per tot ætates inviolatum manſerat, primum „ quidem illud oculis objectum admirati ſunt, à „ monumentis tamen mortuorum manus neutiquam „ continuere. Sed verè affirmare licet, quod nec ſpi- „ rantibus nec defunctis gentes Occidentales peperce- „ runt: verùm à Domino & ejus ſervis facto initio, „ in omnibus promiſcuâ uſi ſunt impietate. Hæc Ni- „ cetas ſynchronus, ſi non oculatus teſtis fuerit. Nihil igitur mirum cuiquam videatur, quòd hic Nicetas Acominatus, qui magnis dignitatibus in aula Conſtantinopolitana functus fuerat, Conſtantinopoli Anno 1204. à Latinis Cruceſignatis capta, indolem Latinorum noſcens ac ſævitiam in regimine, Nicæam cum uxore gravidâ ſuiſque liberis profugus, ibi diem ſupremum obiit, non ante annos poſtremos Henrici Græcorum Imperatoris Anno 1216. defuncti.

Nec Orientale tantùm Imperium Occidentales ſibi per vim & injuſtitiam uſurparunt Comites Flandriæ, ſed Romani Pontifices Laicis non minus ambitioſi, Patriarchatus quoque Conſtantinopolitani dignitatem ſibi velut debitam arrogantes, illam Italis atque Latinis aliarum nationum contulerunt, in regia urbe atque in aliis civitatibus, ubi Cruceſignati occurrebant ad præſidium, Epiſcopos in ſingulis duos vel Archiepiſcopos, Orientalem unum, Occidentalem alterum, inſtituentes. Imò in tantum horum Cruceſignatorum ſuperbia accrevit, ut quamvis Anno 1260. Michaël Palæologus urbe Conſtantinopoli Latinos expuliſſet, titulum tamen illi tyranni & uſurpatores uſque ad Annos 1346. 1352. 1372. ſibi Imperatorum Conſtantinopolitanorum adſcriberent. Vide Ducangium in Hiſtoria Conſtantinopolitana ſub Francis Imperatoribus pag. 244. Anſelmum Bandurium in *Conſpectu Chronologico Hiſtoriæ Conſtantinopolitanæ*, ad Annum 1260. Joannem

Albertum Fabricium Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* cap. 5. pag. 739. unde hæc accepimus. Porro Auctorem *Quæstionum & Responsionum ad Antiochum*, quæ inter Opera S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi habentur, Scriptorem esse posteriorem his omnibus Occidentalium in Orientem Cruce signatorum Expeditionibus, sæculis XII. & XIII. susceptis, atque ita sæculo XIV. solùm scripsisse, capite sequenti ex Quæstionibus ipsis & Responsionibus ostendemus.

CAPUT QUARTUM.

Has Quæstiones & Responsiones non esse ante sæculi XIV. *initium scriptas.*

HUjus Dissertationis cap. 2. ostendimus Scriptores omnes, qui de istis Quæstionibus & Responsionibus judicium tulerunt, magno illas Athanasio Alexandriæ Archiepiscopo sæculi IV. ornamento denegasse, sed alterius esse Græciæ recentissimæ hominis, qui Græcorum more sub larvato Athanasii veteris nomine fallere posteros voluerit. Nam ex Quæstionibus 39. 40. & 41. evidenter apparet, Opus istud compositum fuisse post ingentem illam de cultu Imaginum & Crucis adoratione altercationem sæculis 8. & 9. agitatam, atque nonnisi post Annum 842. sopitam, si tamen sopita dicenda est, quæ in Ecclesia Orientali eadem sæculis sequentibus XII. à Bogomilis ac XIV. sub Palamitis recruduit: ut à sæculo IX. nunquam illic defuerint, qui cultum Imaginum rejecerint. Jam probandum nobis incumbit, Quæstiones istas atque Responsiones non esse scriptas ante sæculi XIV. initium, circa Annum 1319. vel 1320. ex Quæstionibus ipsis. Nam Quæstione XLIV.

pag.

pag. 348. Editionis Græco-Latinæ Parisiensis Anni 1627. hanc Quæstionem Patriarcha vir Græcus & simplex facit, *Quomodo persuadebimus rudi & barbaro, quòd super omnes hæreses Ecclesia Catholica rectam fidem obti-*
„ *neat, & minimè labefactetur?* Cui ita respondet:
„ Qui Scripturarum & documentorum sacrorum accu-
„ ratam & profundam explanationem audire non pos-
„ sunt; inde persuaderi debent de solâ & piâ Catho-
„ licæ Christi Ecclesiæ doctrinâ, videlicet quòd
„ omnia veneranda & honoranda loca passionum Chri-
„ sti, Catholicæ & Orthodoxæ nostræ fidei & Eccle-
„ siæ à Deo donata & credita sunt. Designo autem
„ Nazarethum ubi Christus inter nos habitavit, Beth-
„ leem ubi natus est, Sionem ubi salutem mundo ac-
„ quisivit, Jordanem ubi Adamum renovavit, Tha-
„ borem ubi regnum cælorum adumbravit, Montem
„ olivarum ubi ad Patrem cælestem à nobis assumptus
„ est. Quæ universa sancta & veneranda Catholicæ
„ Ecclesiæ credidit Deus, quòd alioqui sint magis pia
„ & honoranda omnium persuasionum & Ecclesiarum
„ apud Christianos. Et quemadmodum Rex pretiosa
„ sui palatii cubicula & thesauros fidelissimis servorum
„ suorum commissa credit, ita etiam Christus statim
„ ab initio suæ præsentiæ, Catholicæ Ecclesiæ vene-
„ randa loca tradidit. Si quis verò nobis objiciat, quòd
„ tyrannicâ potestate illa teneamus: ejusmodi homo
„ discat, quantumvis etiam sæpenumero Barbari Pa-
„ læstinam occupaverint, non permisisse tamen Chri-
„ stum, sua ipsius loca Hæreticis tradenda, sed licèt
„ ad breve tempus ea aggressi sint, statim tamen ite-
„ rum Cathol. Ecclesia ut porcos eos expulit ex Christi
„ Dei nostri sanctis mansionibus & locis: συντόμως πάλιν ἡ Καθολικὴ Ἐκκλησία τούτους ἀπεδίωξεν ὡς χοίρους τῶν ἁγίων Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν αὐλῶν καὶ τόπων. Multa proferre possem, quibus Scriptoris hujus inter Græcos recen-

tis ignorantiam & simplicitatem probare possem, imò & mendacium in allatis verbis ita enorme & patens, ut ambigam an simile aliquod à quopiam dici unquam potuerit. Affirmat igitur Græcus mendax, *Loca sancta ac Palæstinam* nunquam fuisse à Barbaris occupatam aut Hæreticis, ac si id aliquando contigit, ad modicum tempus factum fuisse, Deo Domino expellente *Barbaros istos velut porcos à sanctis Locis*, quæ Catholicæ Ecclesiæ, id est Orientali Græcæ, servanda commiserat, *ut depositum veræ fidei*, quam semper habuerint. Certum enim est ex fide Scriptorum omnium tàm Latinorum quàm Græcorum Hierosolymam ac Palæstinam omnem cum Syria occupatas fuisse à Saracenis Anno Christi 636. & ab iisdem possessas fuisse per annos 463. usque ad Annum 1099. quo Hierosolymam ab illis eripuit Godefridus Dux Bullionensis per Expeditionem Occidentalium Crucesignatorum, qui illum Anno 1100 Regem Hierosolymitanum elegerunt ac salutarunt. Nullus ergo sæculo XII. toto sat impudens fuit, qui tale mendacium scriptis tradere auderet, cùm impostura convinci posset ab omnibus Græcis, qui Saracenos in Palæstina viderant: atque ab omnibus Crucesignatis Occidentalibus, qui nonnisi Occidentem reliquerant, quàm ut illos ex Palæstina & Hierosolyma expellerent. Imò tale mendacium ab Græco ullo scribi non potuit ante Annum 1310. vel 1320. eo quòd Anno 1187. rebus Latinorum in Palæstina malè se habentibus, Saladinus Occidentales Hierosolymâ expulisset, quam iterum Saraceni occuparent ac tenerent. Imò factæ plures Occidentalium Crucesignatorum Expeditiones in Terram Sanctam & in Orientem, ut Hierosolymam & alia Loca Palæstinæ sancta à Saracenis iterum occupata & possessa repeterent, sæculo XIII. Annis 1250. & 1270. S. Ludovico Galliarum Rege nominis IX. quæ expedi-

peditiones militares expensis immensis factæ, absurdæ fuissent & imaginariæ, nisi Palæstina ac Hierosolyma, aliaque Loca Christi actionibus consecrata, in Saracenorum possessione mansissent. Nullus ergo Græcus Scriptor tam enorme mendacium ante Annum 1310. vel 1320. scribere potuit, quem Saraceni ipsi absurditatis ac mendacii arguissent, qui Palæstinam resumptam servabant. Idem sciebant Occidentales Franci ac Veneti, qui Anno 1198. Innocentio III. Romano Pontifice hortante, simul juncti viribus & navibus, sub prætextu Hierosolymæ ac Terræ Sanctæ à Saracenis extorquendæ, in Orientem tendentes, rectâ Constantinopolim viâ regiam urbem & Imperii Orientalis caput terrâ marique obsidentes, Anno 1204. die 12. Aprilis occuparunt, ac Orientale Imperium tenuerunt usque ad Annum 1260. quo Michaël Palæologus Constantinopolim à Latinis, seu Francis & Venetis, possessam resumpsit. Sæculis igitur duodecimo ac decimo tertio nullus fuit, qui tam patens mendacium scribere potuit.

Omni quoque sæculo XIII. mendacium tale ac tam enorme à Græcis scribi non potuit, cùm Expeditiones quoque binæ hoc sæculo, ab Occidentalibus Crucesignatis, ad recuperationem Terræ Sanctæ ac Hierosolymæ ab Infidelibus occupatæ, susceptæ à Francis fuerint. Harum *Prima* in Concilio Generali Lugdunensi Anno 1245. decreta, Anno 1248. post Pentecosten susceptа à Ludovico IX. Francorum Rege, devotione majori quàm prudentiâ, qui Anno 1249. Damiatam seu Pelusium facilè occupavit in Saracenos; sed Anno 1250. rebus fractus adversis, pace cum Saracenis victoribus factâ, in Franciam Anno eodem 1250. cum dedecore & cladibus reverti cum exercitu coactus fuit. *Altera*, quæ & septima & ultima Mendicantium Fratrum zelo indiscreto & imprudenti consilio suscepta, ab eodem Ludovico IX. Rege Anno 1270. Kalendis Maji, cum

cum Philippo filio primogenito regni hærede, aliisque multis regii sanguinis Principibus, classem Francorum validam ornantibus. Mediante hac Expeditione, Bendocdarus ab auxiliariis impeditus fuit, quominus urbem Ptolemaïdem seu Acconam occuparet, qui Syriæ & Palæstinæ imperabat. Sed tandem Hugo Latinus & Occidentalis, qui se Regem Cypri & Hierosolymæ appellabat, se satis idoneum non esse, ut hujus Sultani exercitui fortiori resisteret, arbitratus, treugam Anno 1272. ab ipso victore obtinuit. Ac Princeps Eduardus, Hugoni in hoc bello fœderatus, in Angliam cum suis rediit, ut possessionem caperet regni, quod Henricus pater moriens ipsi reliquerat. Ita hæc Expeditio nihil contulit ad Terræ Sanctæ recuperationem amissæ. Ludovico quoque IX. Francorum Rege pestilentiâ extincto, quæ Francorum exercitum devorabat, filius ejus & regni hæres Philippus Audax cum suis attritis & fractis ad propria transfretare coactus fuit. Cùm itaque Caliphæ Ægypti & Syriæ Saraceni ab Anno 1187. Hierosolymam ac alias Palæstinæ urbes ex Occidentalibus Christianis vindicassent, atque ab hoc tempore per omne sæculum XIII. conservassent: nullus Græcus etiam mendaciissimus scribere potuit, *illos statim expulsos fuisse ex Pælestina & Locis sanctis, si quando illa occupassent.* Constans autem est Saracenos toto sæculo XIII. Hierosolymam & Palæstinam occupasse ac tenuisse Ægypto adjunctas.

Idem Scriptor Quæstionum libro 2. Quæstione 76. pag. 416. littera B. *Quidnam est, quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* Responsio: *Gentes dicit Romanos, Francorum videlicet genus, qui Christum crucifixerunt.* Ἐρώτησις ος. Τί ἐστιν, ἵνα τί ἐφρύαξαν ἔθνη, καὶ λαοὶ ἐμελέτησαν κενά; ἔθνη λέγει τῶν Ῥωμαίων, ἤγουν τῶν Φράγγων τοὺς ἀπὸ τοῦ σταυρώσαντος τὸν Χριστόν. Hic Athanasius, quisquis ille est, ostendit se scribere post sæculum

lum XIII, seu post omnes Occidentalium Crucesignatorum Expeditiones militares in Palæstinam, in Orientem & in Africanas partes ad expellendos ex Locis sanctis Saracenos, quæ occupabant ab Anno 636. ad 1099. & ab Anno 1187. ad 1272. & ulterius, de quibus cap. 3. Dissertationis hujus diximus. In Expeditionibus istis, quas capite præcedenti septem fuisse enumeravimus, mala incredibilia Crucesignati Græcis Orientalibus fecerant, longè crudeliores atque sceleratiores ipsis Saracenis, quos dicebant se venisse, ut è Locis sanctis expellerent. Cùm itaque Græcos hospites injuriis omnimodis & vexationibus Occidentales attrivissent, per ducentos ferè annos, quibus ad has regiones septem Expeditionibus accesserant, magnam de se suisque facinoribus infamiam apud Græcos reliquerant, ut nullam gentem Occidentalibus pejorem crederent ac dicerent. Juxta hanc de Occidentalibus opinionem, ac potissimum de Francis, qui inter illos potiores numero erant, Græcus Scriptor ut indignationem suam in illos testetur, explicans Psalmum secundum, interpretatur illum de *Occidentalibus*, & maximè de *Francis*, *quos Dominum Jesum crucifixisse* asserit. Cùm ergo Francorum irruptiones seu mutationes ab Anno 1096. ad 1260. & ultrà ad Orientem factæ sint, atque ulteriùs etiam, hoc scribere non potuit, nisi postquam ab istis partibus recesserant, & vix ante sæculi XIV. initium.

CAPUT QUINTUM.

Plures fuisse Athanasios Patriarchas.

EUsebius Renaudôt Parisiensis Theologus non indoctus edidit *Historiam Patriarcharum Alexandrinarum Jacobitarum*, *à Sancto Marco* ad finem sæculi XIII. cum Catalogo sequentium Patriarcharum ad ultima

tima tempora adjuncto, editam in 4. Parisiis 1713. apud Franciscum Fournier. In Præfatione autem Operis observat *Historiam eandem Patriarcharum Alexandrinorum* evulgasse Anno 1709. ante Tomum Junii mensis v. Danielem Papebrochium Antverpiensem Soc. Jesu, cui hanc sub Præfationis finem his verbis tribuit: *tandemque vir doctissimus Daniel Papebrochius specimen ejusdem Historiæ aggressus est, quod ab ejus Sodalibus non mediocri labore perfectum, Tomo quinto Junii Bollandiani præmissum est.* Verùm falsò dicto Papebrochio attribuitur, nam Bartholomæus Germon ejusdem Soc. Theologus, in Opusculo *De Veteribus Hæreticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus* Parisiis Anno 1713. in 8. edito lib. 2. parte 1. cap. 14. pag. 332. attribuit Joanni Baptistæ Sollerio ejusdem Societatis, *doctissimum Patriarcharum Alexandrinorum Historiam Chronologicam*, Anno 1709. editam, nempe in folio Antverpiæ ante Tomum v. Junii, qui potissimè Papebrochii Opus est.

Inter autem Patriarchas Alexandrinos, qui memoriâ digniſſimi videntur, Sanctus Athanasius XX. Alexandriæ Archiepiscopus, de quo abundè Renaudot differit pag. 83. ad 99.

Athanasius alter XXVIII. de quo pag. 125. sed omnia ex relatu maximè incerta. Nam Severus illi attribuit annos regiminis VII. Indiculus Kirchieri XX. alius Indiculus apud Abulbirkat annos tantùm duos. In Cyrilli autem LXXV. Patriarchæ Alexandrini Vitâ, pag. 599. desinit *Historia Alexandrina*, quam hucusque Renaudotus secutus est, neque Chronicon Orientale ab Echellensi interpretatum ultra illius Vitam prògreditur. An ut Historicos veteres, alii qui proximis sæculis vixerunt continuaverunt, hunc postremum alii excepérint, rescire non potuit. Si qui in Ægypto exstitissent, non effugissent fortasse Wanslebii diligentiam, ut ipsis Bollandiani laboris successoribus multa de Christianorum

norum Coptitarum rebus ſubminiſtrarent. Itaque Catalogum eorum, qui à Cyrillo LXXV. hucuſque ſedem Alexandrinam Jacobitæ tenuerunt, ſolummodo Renaudotus dare potuit, adjunctis paucis quibuſdam, quæ undecunque excerpſit. Indicem illorum Patriarcharum primus publicavit Wanſlebius ex Abulbirkat; eundem Hiſtoriæ ſuæ inſeruerunt viri doctiſſimi, cum aliquibus quas habuerunt à Ludolfo obſervationibus. Quibus præmiſſis Renaudotus pag. eadem 599. Vitam Athanaſii LXXVI. Patriarchæ Alexandrini his verbis ſubjungit.

LXXVI. igitur Patriarcha Alexandrinus in Laterculo Abulbirkati, Athanaſius filius Kalil, electus Anno Martyrum 967. ut Wanſlebius ſcripſit, hoc eſt, Anno Jeſu Chriſti 1252. quocirca vacare debuit Sedes non per annos octo circiter, de qua tamen vacatione nihil habemus, ſed veriſimilis admodum ea eſt, cùm tota Cyrilli filii Laklaki in Pontificatu vita, perpetuis inter ipſum, Clerumque & plebem contentionibus agitata fuerit: neque ille ad ſupremam inter ſuos dignitatem pervenerit, niſi poſt annos propè viginti diſſidiis mutuiſque accuſationibus tranſactos: facile fuit ut odia reviviſcerent, novique Patriarchæ. Sed de hac vacatione Abulbirkat & Auctor Chronici verbum non fecere. Sedit Athanaſius annos undecim & dies ſex; ſecundùm Chronicon, viginti ſex annos habet Abulbirkat, in eo ipſo Codice quo uſus eſt Wanſlebius. Addunt Continuatores Bollandi: *Dicitur in Hiſtoria Athanaſius fuiſſe vir bonus, juſtus & humilis, & ideo fortaſſis inſcriptus eſt Coptico apud Seldenum Kalendario, ſed nomine corrupto*, Atafius, *quod Ludolfus correxit*: quæ etiam putat de eo intelligendum, quòd habet Hagiologus ad diem XXII. Athyri menſis. Diximus alibi Kalendarii iſtius Seldeniani nullam eſſe auctoritatem, tum quòd receptis apud Coptas diſſimillimum ſit, tum quòd

quòd ex vitioſo exemplari deſcriptum ſatis mendoſè, & pejus interpretatum. In eo quod Alexandrina Eccleſia ſequitur, non XXII. ſed XX. Athyr, occurrit *Athanaſii* memoria, cum nota quæ Patriarcham fuiſſe deſignat: non eâ tamen quâ deſignari ſolent Alexandrini: quamvis in aliquibus illa ipſa nota non obſervetur. Alterius quoque *Athanaſii* cum eadem deſignatione 3. Thoth, ubi in Kalendario Coptico legitur *Anaſius*. In eodem ſed 9. ejuſdem menſis *Athanaſii* nomen legitur, ſed Patriarchæ Antiocheni, unius ſcilicet ex Severi ſectatoribus. Unde manifeſtum eſt in exemplaria mendoſiſſima Seldenum incidiſſe. Quidquid tandem ſit, Athanaſium ſecundum ſive Juniorem Coptitæ annuâ commemoratione celebrant, eum ſcilicet qui tertius à Dioſcoro cathedram invaſit; alterius recentioris meminiſſe non videntur: cùm alios aut æquales aut ſuperiores, quamvis laudabiliter vixerint, inter Sanctos non retulerint. Vacaſſe ſedem poſt obitum iſtius Athanaſii annis propè ſeptem, tradit Abulbirkat. Obiit Athanaſius anno Martyrum 978. cùm ſediſſet annos undecim, menſem unum, dies XXVI. Hiſtorici Bollandiani ſex tantùm dies numerant. Hic Annus reſpondet Anno Jeſu Chriſti 1261. & 1262.

Retulimus ad verbum quæ Euſebius Renaudot profert pag. 599. de Athanaſio LXXVI. Alexandrino Patriarcha, quem occupaſſe hanc ſedem ab Anno Chriſti 1252. ad 1262. per annos undecim ſcribit, ex quibus neſcio dubiæ fidei Scriptoribus Syris alit aliis, quos cultores veritatis uti fabuloſos & mendaciis plenos admittere recuſant. Si Hiſtoria omnis Euſebii Renaudot *Patriarcharum Alexandrinorum* conſimili fabularum multitudine coaleſcit, Opus iſtud magnam illi apud Eruditos laudis famam non comparabit. Poterat vir bonus à melioris notæ Scriptoribus reſcire Athanaſium illum LXXVI. Alexandrinum Patriarcham non vixiſſe ab Anno 1252.

ad

ad 1262 ſed annis XL. & ampliùs recentiorem eſſe, atque hanc occupaſſe Sedem ab Anno 1302. ad 1313. vel circiter. Erraſſe itaque annis XL. integris teſtibus incertis nixum in aſſignandâ ætate verâ Athanaſii ſui LXXVI. Alexandrini Patriarchæ, cujus omnia, quæ refert, prorſus incerta aut falſa ſunt. Nec in aliis Patriarchis quàm in iſto feliciorem fuiſſe arbitrabimur. Nicephorus Gregoras Byzantinus, Palamitarum ſtrenuus adverſarius, qui obiit poſt Annum Chriſti 1359. in quo ejus Hiſtoria deſinit, lib. 7. *Hiſtoriæ* cap. 1. mentionem facit *Athanaſii hujus Patriarchæ Alexandrini*, qui ſibi æqualem Athanaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum moribus perverſum *perſtringebat*, *fabellâ de fele alba in vas atramentarium lapſâ*, *& habitum indutâ Monachalem*, *quæ tamen ingenium ſuum ſubdolum carniſque cupidum adhuc retineret*. Unde adverſum prorſus fuiſſe Conſtantinopolitano Athanaſio conſtat. Ita Nicephorus Gregoras in *Hiſtoria Byzantina* lib. 7. cap. 1. alludens hoc convicio ad Annum 1302. quo iterum Athanaſius Patriarcha factus fuit Conſtantinopolitanus ad Annum 1310. per octo annos. Cùm enim primùm Anno 1290. ad 1293. Sedem hanc occupaſſet, ob mores malos officio cedere coactus, in Monaſterium ſeceſſit, opinatus ſchemate monaſtico vel conſuetudine cum Monachis ſe mores immutaturum, quibuſcum per octennium manſit. At reſumptus poſt id tempus ad Patriarchatum regiæ urbis, eundem ſe hominem exhibuit, neque meliorem quàm antea. Alludit igitur Athanaſius P. Alexandrinus hoc convicio, ad elationem ſecundam Athanaſii ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum Anni 1302. Georgius quoque Pachymeres Conſtantinopolitanus, qui ſcripſit Hiſtoriam Byzantinam ab Anno 1260. ad Annum 1308. *Paraphraſin Operum Sancti Dionyſii Areopagitæ ad Athanaſii Patriarchæ Alexandrini* inſtantiam compoſuit, Græcè ac Latinè ſæpius

editam, quam huic Patriarchæ Pachymeres obtulit, dum Conſtantinopoli reſideret, de qua Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* lib. 5. cap. 5. pag. 465. Vixit igitur Athanaſius Patriarcha Alexandrinus ab Anno 1302. ad 1313. eo tempore quo Athanaſius Conſtantinopolitanus Sedem ſuam iterum reſumpſit, ab Anno 1302. ad 1309.

Quartus quoque fuit Athanaſius Macedo Patriarcha Conſtantinopolitanus ætatis ejuſdem, qui Sedem hanc Patriarchalem bis tenuiſſe legitur, ſemel Anno 1290. per quadriennium ad 1293. & iterum Anno 1302. per octo annos uſque ad Annum 1309. de quo Bandurius in *Conſpectu Chronologico Hiſtoriæ Conſtantinopolitanæ*, Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* paginis 322. 323. 741. 587. 582. ubi Operum illius longam ſeriem ex MSS. Codicibus Regiis profert uſque ad paginam 587. De illo quoque Nicephorus Gregoras in *Hiſtoria Byzantina* libro VI. capp. 5. & 7. libro VII. capp. 1. & 9. Eruditus Joannes Boivinius in Notis ad Hiſtoriam *Nicephori Gregoræ* ſæpius de Athanaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani Scriptis agit pag. 755. & ſeqq. 757. 758. 760. ubi exſtat formula abdicationis ejus. 763. Abdicatio prima Patriarchatus A. C. 1293. de qua Pachymeres lib. 2. *Hiſtoriæ* cap. 23. & lib. 3. cap. 24. & Nicephorus Gregoras *lib. 6. cap. 7.* Illam Græcè ex Codice Regio exhibet Joannes Boivinius Notis ad Gregoram pag. 757. quamvis per Typographi errorem vocetur ἀφαίτησις τῆς δευτέρας Πατριαρχείας, Græcè & Latinè Bandurius pag. 968. Poſterior Patriarchatus abdicatio A. C. 1310. de qua Gregoras *lib. 7. cap. 9.* quam Græcè exhibet Boivinius in Notis jam laudatis pag. 762. quæ Græcè & Latinè apud Bandurium occurrit pag. 976. & ſeqq. Hæc de Athanaſio Patriarcha Conſtantinopolitano, ex citatis Scriptoribus. De aliis autem aliarum Sedium Metropolitanarum & Epi-

Episcopalium Athanasiis, qui scire desiderat, adeat Fabricium Hamburgensem *Bibliothecæ Græcæ* Tomo VI. in Athanasio cap. 2. pag. 298. quippe qui nostrum ad argumentum non pertineant.

CAPUT SEXTUM.

Spectare Quæstiones istas ad Athanasium Patriarcham Alexandrinum, qui sæculo XIV. *scripserit & floruerit.*

Diximus capite præcedenti fuisse tres Patriarchas Alexandrinos nomine Athanasios, quorum nomina ad nos pervenerint. Jam quæstio est, ad quem ex tribus illis hæ Quæstiones cum Responsionibus suis pertineant. 1. Accesserunt in Editionem Operum omnium S. Athanasii Patriarchæ Alexandrini à Commelino Heidelbergæ Anno 1600. 2. vol. in folio, ex MS. Codice Bibliothecæ Palatinæ Tomo 2. pag. 275. ubi Græcè & Latinè exstant sub hoc titulo, Τῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίυ Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπισκόπυ Ῥήσεις καὶ Ἑρμηνείαι πρὸς Ἀντίοχον ἄρχοντα περὶ πλείσων καὶ ἀναγκαίων Ζητημάτων, τῶν ἐν θείαις γεγραφαῖς ἀπορεμένων, καὶ πᾶσι Χριστιανοῖς γινώσκεσθαι ὀφειλομένων. *Sancti Patris nostri Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi Dicta & Interpretationes ad Antiochum Principem, de variis & necessariis Quæstionibus in Sacra Scriptura controversis, & omnibus Christianis cognitu necessariis, Quæstiones* CXXXVI. Joanne Reuchlino, Valentino Ampelandro & Joanne Lampadio interpretibus. Pag. 323. Τῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίυ Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπισκόπυ Ῥήσεις καὶ Ἑρμηνείαι παραβολῶν τῆς ἁγίας Εὐαγγελίυ, *Sancti Patris nostri Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi Dicta & Interpretationes*

Parabolarum Sancti Evangelii Quæstionibus CXXXIII. *totidemque Responsionibus*. Denique pag. 355. ad 365. Τῶ αὐτῶ Ζητήματα ἕτερα, *Ejusdem Quæstiones aliæ viginti*, ex eodem MS. Codice. Quamvis verò titulus *Sancti*, affixus manuscripto Codici Palatino, tribuere videatur Opus S. Athanasio magno sæculi IV. ornamento, quem tres ejus interpretes in manibus habuerunt Reuchlinus, & alii: ex lectione tamen Operis & in eo contentis, competere non potest, nisi Græciæ recentissimæ homini, Athanasio sæculi XIV. Scriptori, quem Eusebius Renaudot Patriarcham LXXVI. Alexandrinæ Ecclesiæ enumerat, qui sæculo XIV. tantùm floruit & scripsit, ut ostendemus. Unde patet adulatio Græcorum recentium, qui non tantùm in Codicibus suis MSS. titulum *Sancti*, Τῶ ἐν ἁγίοις, Patribus Ecclesiæ veteribus adjecerint; sed etiam recentissimæ ætatis, in quibus nulla unquam sanctitatis species apparuit; id quod occasionem errandi posteris, maximè Latinis, facilem obtulit.

2. Quæ habentur pag. 346. Quæstionibus 39. 40. & 41. ostendunt evidenter, Opus istud compositum fuisse post ingentem illam de cultu Imaginum & Crucis adoratione altercationem sæculis 8. & 9. agitatam, quæ nonnisi post Annum 842. terminata fuit; unde necessariò concludendum est, Quæstiones istas non posse referri ad Athanasios Patriarchas Alexandrinos antiquiores, qui sæculo IV. & V. claruerint, ante omnem de cultu Imaginum & Crucis veneratione disputationem, ut rectè Labbeus aliique observarunt. At opinor Scriptorem istarum Quæstionum accepisse illas ex Summis Theologicis Scholasticorum, qui sæculo XIII. Quæstiones tales fecerunt, uti Alexander Halensis, Bonaventura, Thomas Aquinas, & alii in *Summis* suis, ubi *de asino* super quem Christus sedit, dum Hierosolymam ingressus est, cur non adoremus; quam ob-

je-

jectionem Athanasius hic noviſſimus Patriarcha Alexandrinus ab illis acceptam facit. Hinc contra Scholaſticorum omnium opinionem & ſententiam ſæculo XIII. celebriorum, concludit *Imagines* nec venerandas nec invocandas, ſed ſolius cauſâ memoriæ effingendas. *Quid ad hæc reſponderint illi, qui mandant ne effigies Sanctorum noventur: quas non ob aliud aliquid, quàm memoriæ cauſâ effingimus.* Erat igitur Athanaſius hic LXXVI. Patriarcha Alexandrinus, quem ſæculo XIV. vixiſſe certis argumentis probavimus, in ea opinione, quòd Imagines *nec adorandæ nec invocandæ eſſent, quæ ſolius memoriæ cauſâ effingerentur à fidelibus.*

3. Athanaſius ille, Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarcha noviſſimus, ætatem ſuam recentem prodit & ignorantiam, dum Quæſtione 44. pag. 348. allegat *eſſe traditionem Catholicæ Eccleſiæ*, ut capite 4. Diſſertationis hujus jam retulimus, videlicet, „ Quòd omnia reverenda & honoranda loca paſſionum Chriſti Catholicæ „ & Orthodoxæ noſtræ fidei & Eccleſiæ à Deo dona„ ta & credita ſunt. Deſigno autem Nazarethum „ ubi Chriſtus inter nos habitavit, Bethleem ubi natus „ eſt, Sionem ubi ſalutem mundo acquiſivit, Jorda„ nem ubi Adamum renovavit, Thaborem ubi regnum „ cælorum adumbravit, Montem Olivarum ubi ad „ Patrem cæleſtem à nobis aſſumptus eſt. Quæ uni„ verſa ſancta & veneranda Catholicæ Eccleſiæ credidit „ Deus, quòd alioquin ſint magis pia & honoranda „ omnium perſuaſionum & Eccleſiarum apud Chriſtia„ nos. Quæ verba indicant Scriptorem Græcum recentiſſimum, qualis fuit Athanaſius ille Patriarcha LXXVI. Alexandrinus, qui ſub initium ſæculi XIV. floruit, & adverſarius fuit Athanaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani, dum Anno 1302. ad 1310. iterum ad hanc Sedem regiæ urbis poſt ceſſionem octo annorum reſumptus fuit, ut habet Nicephorus Gregoras *Hiſtoriæ*

Byzantinæ libro VII. cap. I. Falsum autem est, quòd Christus loca, quæ suâ præsentiâ honoravit dum viveret, commisit velut depositum aliquod *Ecclesiæ Orientali & Græcæ*, quam *Catholicam & Orthodoxam Ecclesiam* appellat: unde fidei ipsius integritas atque rectitudo à Christianis omnibus concludatur. Nec talis traditio unquam fuit in Ecclesia, quæ recentissimum Patriarcham Græcum Alexandrinum denotat, fabulis istis Ecclesiæ Orientali & Græcæ abblandientem & falsò applaudentem. Quæstiones igitur istæ hominis & Scriptoris Græci recentissimi sunt, qualem Athanasium citatum depinximus.

4. Enorme mendacium, quod ibidem profertur, Græcum Scriptorem mendacissimum pariter atque ætate recentissimum probat. Asserit impudens mendax, Palæstinam, Hierosolymam & alia Loca sancta nunquam fuisse ab Infidelibus aut Hæreticis occupata nisi ad brevissimum tempus, ac Deum illos velut porcos expulisse statim ab his Locis postquam illa occupaverant. Verba illius audiamus, ut de mendacio evidentiùs constet: „*Si quis verò nobis objiciat, quòd tyrannicâ* „ *potestate illa teneamus: ejusmodi homo discat, quantum-* „ *vis etiam sæpenumero Barbari Palæstinam occupaverint,* „ *non permisisse tamen Christum, sua ipsius loca Hæreti-* „ *cis tradenda, sed licèt ad breve tempus ea aggressi sint,* „ *statim tamen iterum Catholica Ecclesia ut porcos eos expu-* „ *lit ex Christi Dei nostri sanctis mansionibus & locis.* „ συντόμως πάλιν ἡ Καθολικὴ Ἐκκλησία τούτους ἀπεδίω- „ ξεν ὡς χοίρους τῶν ἁγίων Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν αὐλῶν καὶ „ τόπων. De mendacio isto latissimè loquuti sumus cap. 4. hujus Dissertationis, ubi ostendimus illud nec sæculo XII. neque XIII. potuisse dici aut scribi sine impudentiâ summâ, illud itaque rectè pertinere ad Athanasium illum LXXVI. Alexandriæ Archiepiscopum & Patriarcham sæculi XIV. hominem. Tunc enim

enim in Scriptoribus nullum judicium, nullus pudor, ſcribebat unuſquiſque in Hiſtoriis, quod placebat, aut commodum erat, non quod veritati aut judicio conveniret. Itaque mihi nihil mirum, quòd Patriarcha Alexandrinus homo Græcus ita fœdè pro Græcorum conſuetudine mentitus ſit. Non repetemus quæ hîc diffuſè diximus ad mendacii hujus demonſtrationem, ad quæ Lector recurrere poteſt. Sufficiat probaſſe, non *Hæreticos* tantùm, ſed *Saracenos* illos infideles, non per menſes aliquos paucos, aut annum unum vel alterum, Hieroſolymam atque alia Palæſtinæ Loca à Chriſto dum viveret ſanctificata, ut Chriſtiani ſuperſtitioſè arbitrantur, poſſediſſe & occupaſſe, ſed per multas etiam annorum centurias, quietè ac pacificè, nimirum ab Anno Chriſti 636. per annos 473. uſque ad Annum 1099. quo Hieroſolyma ipſis erepta fuit ab Occidentalibus Cruceſignatis. Cùm autem illam cum Palæſtina uſque ad Annum 1187. labore multo expenſiſque immenſis tenuiſſent, reſtituere illam iterum Saracenis poſſeſſoribus antiquis novi hoſpites compulſi ſunt, quam conſervaſſe ſæculo XIII. integro ex Hiſtoricis bonæ fidei conſtat. Nullus ergo tale mendacium ſæculo XII. vel XIII. ſcribere potuit, cùm tunc temporis eſſent infiniti homines, qui ſcribentem mendacii aperti accuſaſſent ac conviciſſent: unde uſque ad ætatem hujus Athanaſii LXXVI. Patriarchæ Alexandrini & initium ſæculi XIV. expectandum fuit, ut tale mendacium formaretur, atque his *Quæſtionibus ad Antiochum* ſub prætextu Orthodoxiæ & fidei inſereretur. Nullus enim dubito, quin *ad majorem Dei gloriam* mendacium iſtud conſcriptum ſit, uti & hodie apud Pontificios & præſertim apud Jeſuitas fieri conſuevit.

5. Athanaſius hic LXXVI. Alexandriæ Patriarcha, qui ſub initium ſæculi XIV. floruit, ſeipſum eſſe Quæſtionum iſtarum ad Antiochum Scriptorem diſertè pro-

dit libro 2. Quæstionum istarum Quæstione 76. pag. 416. littera B. dum ita loquitur: Ἐρώτησις οϛ· Τί ἐϛιν, ἵνα τι ἐφρύαξαν ἔθνη καὶ λαοὶ ἐμελέτησαν κενά; ἔθνη λέγει τ Ῥωμαίων, ἤγουν τ Φράγγων τὸ γένος, τ ϛαυρωσάντων τ Χριϛόν. *Quæstio 76. Quidnam est, quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Responsio, Gentes dicit Romanos, Francorum videlicet genus, qui Christum crucifixerunt.* Hic Athanasius, quisquis ille est, ostendit se scribere post sæculum XIII. seu post omnes Occidentalium Crucesignatorum Expeditiones militares in Palæstinam, in Orientem & in Africanas partes, ad expellendos ex Locis sanctis Saracenos, quæ occupabant ab Anno 636. ad 1099. & ab Anno 1187. ad 1272. & ulteriùs, de quibus cap. 3. Dissertationis hujus diximus. In Expeditionibus istis, quas capite 3. septem fuisse, licèt alii usque ad duodecim illas enumeraverint, scripsimus, mala incredibilia Crucesignati Græcis Orientalibus fecerant, longè crudeliores atque sceleratiores ipsis Saracenis, quos dicebant se venisse, ut è Locis sanctis expellerent. Cùm itaque Græcos hospites injuriis omnimodis & vexationibus Occidentales attrivissent per ducentos ferè annos, quibus ad has regiones septem Expeditionibus, vel duodecim juxta Scriptores alios, accesserant, magnam de se suisque facinoribus infamiam apud Orientales reliquerant, in tantum ut nullam in orbe terrarum gentem Occidentalibus pejorem & ad omne scelus paratiorem crederent ac dicerent. Juxta hanc de Occidentalibus Crucesignatis opinionem, non præoccupationem, ac potissimum de Francis, qui ut inter illos potiores numero erant, ita quoque alios excessibus & infamiis superabant, Athanasius noster, qui hæc ab oculatis testibus adhuc viventibus rescire potuerat, ut indignationem suam in Crucesignatos istos auxiliares testetur, Psalmum secundum explicans, *ubi de Crucifixione Christi agi-*

agitur, interpretatur illum de *Occidentalibus* & maximè *de Francis*, *quos Dominum Jesum crucifixisse asserit*. Cùm ergo Francorum irruptiones seu inundationes ob Palæstinæ Loca sancta recuperanda, ab Anno 1096. ad 1270. & ultrà, ad Orientem factæ sint: hæc scribere non potuit Græcus Athanasius, nisi postquam ab istis partibus recesserant, & vix ante sæculi XIV. initium, quo memoria illorum scelerum, quæ in Græcos Christianos commiserant, adhuc recens erat. Qui plura de Crucesignatorum infamiis & criminibus scire voluerit, legat Nicetam Acominatum testem oculatum in *Historia Byzantina* Græco-Latina Editionis Regiæ libro XIX. *De Alexio Duca*, *Murzuflo seu supercilioso*, paginis 369. & 370. quibus mores illorum turpissimos & ad omne scelus promptos describit.

6. Athanasius hic LXXVI. Patriarcha Alexandrinus ac recentissimus, se ipsum ostendit Scriptorem Quæstionum istarum, quando Quæstione 4. citat Opera *Sancti Dionysii Areopagitæ*, quæ sæculo aliorum Athanasiorum veterum cognita non erant. Athanasii autem hujus recentissimi ætate, Georgius Pachymeres Constantinopolitanus, magnus amicus Athanasii hujus, Paraphrasim Græcam in hæc Opera contexuit, quam Athanasio nostro Alexandrino tunc Constantinopoli existenti dedicavit, quæ prodiit primùm Græcè Parisiis apud Guillelmum Morellium 1561. in 8. sub hoc titulo, Τῦ λογιωτάτυ καὶ σοφωτάτυ ἱερομνήμονος τῆς ἁγιωτάτης τῦ Θεῦ μεγάλης Ἐκκλησίας Γεωργίυ τῦ Παχυμέρη Παράφρασις εἰς τὰ ἅγια ἱερομάρτυρος Διονύσιον τὸν Ἀρεοπαγίτην, ἐκ προτροπῆς τῦ ἁγιωτάτυ Πάπα καὶ Πατριάρχυ Ἀλεξανδρείας Κύρ Ἀθανασίυ, ἐπιδημήντος τῇ Κωνσταντίνυ πόλει, πρὸς ὃν καὶ τὸ προοίμιον. Athanasius igitur LXXVI. Patriarcha Alexandrinus est certus Quæstionum istarum Scriptor, qui Sedem hanc Anno 1302. ad 1313. tenuit, atque Georgio Pachymeræ amicus singularis exstitit.

ſtitit. De hoc Commentario Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* pag. 465. ubi præter illam Editionem ſeparatim factam, obſervat eandem Græcè prodiiſſe junctam Scriptis Sancti Dionyſii, in Editione Græco-Latina Operum illius Lanſſeliana Pariſienſi 1615. in folio, itemque Græco-Latina Antverpiæ 1634. in fol. Editione Balthaſaris Corderii Soc. Jeſu. Hinc ergo patere videtur, has Quæſtiones eſſe Opus Athanaſii LXXVI. Alexandriæ Patriarchæ, qui Georgio Pachymeræ amicus erat.

CAPUT SEPTIMUM.

Magnarum Sedium Patriarchas, apud Græcos recentiores, Sancti Patris *noſtri nomine honoratos paſſim fuiſſe.*

DIximus capite præcedenti ac probavimus *Quæſtiones & Reſponſiones ſub Sancti Athanaſii nomine factas ad Antiochum Principem*, eſſe Opus Athanaſii LXXVI. Alexandriæ Archiepiſcopi hominis recentiſſimi, qui ab Anno circiter 1302. ad 1313. & ultrà fortaſſe vitam protelaverit, cujus de moribus altum apud Scriptores bonæ fidei ſilentium. Quamvis autem ita ignotus fuerit, hoc tamen non impediit quominus apud Græcos recentes maximè palpones & adulatores Patriarcharum ſuorum *Sancti Patris noſtri* nomine honeſtatus fuerit in MSS. Codicibus Heidelbergenſis Bibliothecæ, qui incautis occaſionem dediſſent illas attribuendi Sancto Athanaſio ſæculi IV. ornamento, à quo annis mille removentur. Sæculo itaque XIV. Patriarchæ magnarum Sedium apud Græcos *Sancti Patris noſtri* nomine honorabantur, etſi nihil minus quàm *Eruditi* aut *Sancti* in Scriptis ſuis invenirentur. Τῶ ἐν ἁγίοις Πα-

Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπισκόπου Ῥήσεις καὶ Ἑρμηνείαι πρὸς Ἀντίοχον ἄρχοντα περὶ πλείστων καὶ ἀναγκαίων Ζητημάτων, τε ἐν ταῖς θείαις Γραφαῖς ἐπορεμένων, καὶ παρὰ πᾶσι Χριστιανοῖς γινώσκεσθαι ὀφειλομένων, *Sancti Patris noſtri Athanaſii Alexandriæ Archiepiſcopi Dicta & Interpretationes ad Antiochum Principem de variis & neceſſariis Quæſtionibus in ſacra Scriptura controverſis, & omnibus Chriſtianis cognitu neceſſariis. Quæſtiones* CXXXVI.

Ob hanc eandem rationem Leo Allatius in Diſſertat. *De Triodio Græcorum*, Libro Eccleſiaſtico, qui in Eccleſiis Græcis legitur, cujus Auctor recentiſſimus & incompertus eſt, Librum hunc rejicit, uti hæreticum atque ſchiſmaticum, errores multos complectentem, maximè dum laudat & præconiis exornat Conſtantinopolitanos Patriarchas, qui adverſùs Romanam Eccleſiam pro viribus pugnaverint, quos ille *Orthodoxos & Sanctos* appellat Diſſertationis 2. pag. 109. Idem num. 183. pag. 127. multis invehitur in Athanaſium Patriarcham Conſtantinopol. quem hic Anonymus celebrat, virum moribus peſſimum, qui Sedem hanc ab Anno 1290. ad 1293. & iterum ab Anno 1302. ad 1310. vel 1311. tenuit, tandemque iterum relinquere coactus fuit. Idemque num. 186. pag. 129. extollit uti Sanctum Iſidorum Patriarcham Conſtantinopolitanum factum Anno 1347. ex Monembaſiæ Archiepiſcopo, ad Annum 1349. quo defunctus fuit. At tantum abeſt ut hic Iſidorus ſanctitate conſpicuus eſſet, ut Gregorii Palamæ multarum hæreſium conſcii fautor eſſet, ut refert Nicephorus Gregoras *Hiſtoriæ Byzantinæ* libro XV. 10. 12. XVIII. 1. 2. contra quem Anathematiſmi ſcripti lib. XV. 10. atque Canones Iſidori in ignem conjecti lib. XVI. 5. pag. 121. Imò Hymni Sanctorum de Sancta Trinitate antiquitus cantati in Eccleſia, ab Iſidoro Patriarcha Conſtantinopolitano aboliti, & in eorum locum, quos recens ipſe com-

compoſuit, introducti, pag. 521. ejuſdem Gregoræ in *Hiſtoria ſua Byzantina.*

Neque hoc tantùm ſæculo XIV. factum eſt, ut Patriarchæ & Epiſcopi Græci, contra Roman. Eccleſiam ſcribentes, titulo *Sanctorum* honorarentur, uti Leo Allatius conqueritur locis citatis: ſed etiam idem contigit ſæculo XVII. Habeo enim in manibus Gregorii cujuſdam Theſſalonicenſis Archiepiſcopi, qui circa Annum 1624. Eccleſiam hanc rexit, libros duos Græcè ſcriptos adversùs Romanam Eccleſiam, & Londini in 4. circa Annum 1626. impreſſos ſub titulo iſto, Τῶ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίε Ἀρχιεπισκόπε Θεσσαλονίκης λόγοι ἀποδεικτικοὶ δύο, contra Romanam Eccleſiam, quibus libris demonſtrativis duobus exſtat Proœmium ſeu Prologus ejuſmodi, Τοῖς ἁγιωτάτοις καὶ μακαριωτάτοις τέσσαρσι Πατριάρχαις τ᾽ Καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς καὶ Χριστῦ Ἐκκλησίας, τ᾽ Ἀποστολικῆς καὶ φωταυγοῦς, Κυρίλλῳ Κωνσταντινοπόλεως, Γερασίμῳ Ἀλεξανδρείας, Ἀθανασίῳ Ἀντιοχείας, Θεοφανεῖ Ἱεροσολύμων, τοῖς τῶ Ἀποστολῶν ἀληθόχοις, καὶ τ᾽ ἀληθείας ὑπερμάχοις, τοῖς ὡς ἐκλεκτὰ σκεύη βαστάζουσι τὸ γλυκύτατον ὄνομα τῦ Κυρίε ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ ἐναντίον ἐθνῶν καὶ τυράννων, πᾶσαν ὑποταγὴν καὶ εὐπείθειαν ἐν αὐτῷ Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν. *Sancti Patris noſtri Gregorii Theſſalonicenſis Archiepiſcopi Libri demonſtrativi duo adversùs Romanam Eccleſiam*, quorum Prologus, *Sanctiſſimis & beatiſſimis quatuor Patriarchis Catholicæ & Orientalis Chriſti Eccleſiæ, Apoſtolicæ atque illuminantis, Cyrillo Conſtantinopoleos, Geraſimo Alexandriæ, Athanaſio Antiochiæ, Theophani Hieroſolymorum, ſucceſſoribus Apoſtolorum & veritatis propugnatoribus, ut vaſa electa portantibus ſuaviſſimum Domini noſtri Jeſu Chriſti nomen, coram gentibus & tyrannis, omnem ſubjectionem & obedientiam in eodem Chriſto Deo noſtro.*

Sanctus autem hic Gregorius Theſſalonicenſis Archiepiſcopus Anno 1624. clarus, teſtatur ſcribere ſe ad-

adversùs Romanam Ecclesiam post alios multos, ac præsertim post duos celeberrimos viros, quos in Præfatione sua nominat Georgium Scholarium Patriarcham Constantinopolitanum Anno 1454. & sequentibus inclytum, & Gabrielem Severum Philadelphiæ Metropolitam Anno 1585. florentem, qui ante se adversùs Romanam Ecclesiam scripserat, quorum exempla secutus est. Neque hoc contentus, præmisit Operi suo Opusculum Gennadii inscriptum, Τῦ Ὀρθοδόξυ καταφύγιον contra Romanam Ecclesiam *Orthodoxi refugium* inscriptum Γεωργίυ τῦ Σχολαρίυ τὸ Σύγγραμμα ἐπιγεγραμμένον Ὀρθοδόξυ καταφύγιον, καὶ ὕστερον γενομένυ Γενναδίυ Μονάχυ. Cujus cum Procemio capita 53. satis prolixa occurrunt, quibus causam contra Latinos agit. Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis* à pag. 394. ad 409. latissimè de Scriptis Georgii Scholarii loquitur, qui pag. 408. diffusè admodum de Opere isto Georgii Scholarii, quod *Tractatus* dicitur, Londini in 4. Græcè editus, sed sine nomine loci & anni, quibus καταφύγιον τῦ Ὀρθοδόξυ, impressus fuit. Cujus Τιμῆμα πρῶτον περὶ τῶν αἰτίων τῦ σχίσματος κατ' ἐπιδρομὴν, ἐν ᾧ ὅτι τὰ κατὰ τὴν τελτὴν σύνοδον σαφὴς ἀπόδειξις τῦς Γραικῦς ὀρθῶς φρονεῖν. Hoc Opus igitur adversùs Romanam Ecclesiam scriptum post Annum 1622. à Gregorio Thessalonicensi Metropolita, neutiquam impedivit, quominus *Sancti* titulo Gregorius à Græcis honoraretur.

Opus istud Gregorii Thessalonicensis Archiepiscopi circa Annum 1624. scriptum videtur, quod ex Præfatione ipsa dedicavit Patriarchis quatuor Ecclesiæ Orientalis, quorum duo primi Cyrillus Lucaris Patriarcha Constantinopolitanus & Gerasimus P. Alexandrinus. De duobus Patriarchis istis Leo Allatius *De consensu utriusque Ecclesiæ* libro 3. cap. 9. ubi de statu Ecclesiæ Græcæ hodierno num. 1. col. 1000. ad 1038. Speciatim autem de his duobus Patriarchis num. IV. col.

col. 1013. referens Epiſtolam Geraſimi Patriarchæ Alexandrini à col. 1013. ad 1020. Anno ſalutis 1629. ſcriptam in Ægypto die 8. Julii, in qua ſe inſcribit, *Geraſimum miſeratione divina Papam & Patriarcham magnæ urbis Alexandriæ & Judicem orbis terrarum*, col. 1013. Vide etiam quæ habet Allatius idem lib. 3. cap. XI. num. 3. col. 1072. nempe Anno 1627. Londino typos non ſine ingenti ſumptu Byzantium fuiſſe allatos, quibus Libros contra Eccleſiam Romanam & traditiones antiquas ederent, ſed auctoritate Turcica, ſtatim & typos & libros & invectorem eorundem Matacca profligatos eſſe, & in prædam Janiſſariis ceſſiſſe.

Cyrillus Lucaris Patriarcha Conſtantinopolitanus ab Anno 1622. ad 1645. Sedem hanc cum tribulatione multâ tenuit, quater aut quinquies dejectus, totieſque reſtitutus, donec Anno 1645. miſero fine exſtinctus eſt, Cyrillo Beröenſi & Parthenio cum aliis Romanæ factionis contra illum inſidiantibus. Omnem hanc tragœdiam magno animi impetu & odioſis prorſus in Calviniſtas accuſationibus, Leo Allatius ab Anno 1622. quo Cyrillus Lucaris primùm inſtitutus eſt, ad 1645. explicuit, nempe Cyrilli Lucaris, Cyrilli Beroenſis & Parthenii Cyrillo primo adverſantium, lib. 3. *De conſenſu utriuſque Eccleſiæ* cap. XI. col. 1061. ad num. 7. col. 1091. De Cyrillo Lucari col. 1061. ad 1075. De Cyrillo Beroenſi ibid. col. 1061. ubi Synodum ab eo Conſtantinopoli Anno 1639. adversùs Cyrillum Lucarim ut Calviniſtam, habitam refert Græcè & Latinè à col. 1061. ad 1069. De Parthenio col. 1082. ad 1091. ubi Synodum ab illo Conſtantinopoli Anno MDCXLII. contra Cyrillum Lucarim habitam ex Editis Jaſii Moldaviæ, Græcè & Latinè refert, tum Pariſiis A. 1643. apud Sebaſtianum Cramoiſy recuſam. Cæterùm ut fine funeſto ac funè ſtrangulatus Cyrillus Lucaris Anno 1645. inſidiis & accuſationibus æmulorum,

rum, Calviniſmi taxatus occubuit: ita Cyrillus Berœenſis biennio poſt, finem honeſtiorem non habuit, vindictam expertus divinam. Hæc de controverſiis à factione Pontificiâ apud Conſtantinopolim motis, ſub quibus Gregorius Theſſalonicenſis Sedis Archiepiſcopus, Cyrilli Lucaris partibus favens, *Libros duos ἀποδεικτικὸς adverſùs Romanam Eccleſiam*, poſt Gennadium Patriarcham Conſtantinopolitanum & Gabrielem Severum Eccleſiæ Philadelphienſis Metropolitam, ambos plurimæ eruditionis Viros, compoſuit. Quos ubi quatuor Patriarchis Orientalis Eccleſiæ dedicavit, illos ſibi in ſententia fuiſſe conformes evidenter oſtendit.

CAPUT OCTAVUM.

Scriptores aliquos typis impreſſos, quos Editores antiquos valde produxerant, has Quæſtiones diſertè allegantes, jure merito recentiſſimos eſſe convinci.

EXierunt in lucem publicam Opuſcula aliquot, quæ Editores antiqua valdè opinabantur, ſed cùm has Quæſtiones diſertis verbis allegaſſe comperiantur, hinc contra Editorum intentionem ac ſententiam jure merito recentiſſima eſſe convincuntur.

Dominus Placidus Porcheron, Monachus Benedictinus & Bibliothecarius Sancti Germani de Pratis Pariſienſibus, edidit Anno 1688. in 8. Pariſiis *Anonymi Ravennatenſis Geographiam univerſalem libris quinque diſtinctam*, quam eduxit ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ ac Notis illuſtravit, quem Auctorem Anonymum ſæculo VII. oſcitanter & parum conſideratè aſſignavit, quamvis recentiſſimus ſit & ſæculum XIV. excedere non poſ-

poſſit. Opus ab ipſo inſcriptum *Ravennatis Anonymi, qui circa ſæculum* VII. *vixit, Geographiæ libri quinque.* Idem porro Opus in 8. iterum recuſum Lugduni-Batavorum 1696. ſtudio Jacobi Gronovii Academiæ hujus in Litteratura Profeſſoris ex MS. Codice hujus Bibliothecæ. Manuſcripti Codices, unde hæc Geographia deſumpta fuit, recentis prorſus ætatis ſunt. Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca Manuſcriptorum Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum* ex Catalogis potiſſimum Regiæ Bibliothecæ collecta, quam Pariſiis Anno 1653. in 4. edendam curavit apud Joannem Henault, mentionem facit Manuſcripti Codicis Regii, parte 4. Sect. 5. pag. 49. his verbis, *Deſcriptio regionum totius Orbis ex Codice Regio* 1431. qui Codex maximè recens eſſe dicitur, ab illis qui in manibus habuerunt: nec noſter etiam Codex MS. hujus Operis antiquitatem ullam habet, recenſitus inter MSS. Codices Voſſianos in 4. ſub hoc titulo *Anonymi Ravennatis Geographia integra totius Orbis in charta*, juxta Catalogum majorem Bibliothecæ noſtræ Anno hoc 1716. in folio à Petro vander Aa editum pag. 381. col. 2. Unde mirum cur tantam huic Anonymo antiquitatem adſcripſerit Placidus Porcheron, quem aliunde recentiſſimum fuiſſe Scriptorem conſtat, nec Manuſcripti Codices, quamcunque ſpeciem antiquitatis ſimulent, Auctoribus ſuis, ſi recentes probentur, antiquiores eſſe poſſint.

Hic porro Anonymus Ravennatenſis Geographus lib. 1. num. 6. pag. 9. juxta Editionem Pariſienſem pag. 14. allegat diſerta verba *S. Athanaſii Alexandriæ Archiepiſcopi in Quæſtionibus ad Antiochum Principem:* unde eſſe Athanaſio iſto quem profert recentiorem, neceſſariò concludendum eſt. Cùm itaque cap. 6. Diſſertationis hujus diffuſè ac perſpicuè probaverimus Scriptorem harum Quæſtionum non eſſe S. Athanaſium ma-

magnum sæculo Ecclesiæ IV. celebrem, sed Athanasium recentissimum sæculi XIV. Scriptorem, quem Eusebius Renaudot, in *Historia Chronologica Patriarcharum Alexandrinarum*, Patriarcham LXXVI. appellat ac recenset, qui sedem hanc ab Anno 1302. ad 1313. vel circiter tenuerit: hinc consequenter ratiocinantes, Anonymum Ravennatensem Geographum ex MS. Codice Latino 1431. Bibliothecæ Regiæ recenti eductum, quem oscitanter Placidus Porcheron sæculo VII. assignavit, sæculo XIV. duntaxat adscribimus, utpote recentiorem Athanasio Patriarcha LXXVI. Alexandrinæ Ecclesiæ, quem allegat & transcribit.

Aliud exstat opusculum inter Opera Sancti Joannis Damasceni in Editionibus Basileensibus impressum, atque falsò inscriptum, *Sancti Patris nostri Joannis Damasceni Libri tres seu Orationes de Imaginibus*, pro quibus Iconolatræ Pontificii acriter disputant, ut illos asserant Sancto huic Monachio, sæculi octavi Scriptori, quamvis Pontificii alii melioris judicii illos prorsus Damasceni esse negent. Editi primùm fuerunt Veronæ 1532. Græcè curâ & studio Petri Francisci Zeni Veronensis, quos Latina sua interpretatione dignatus est, ex quo velut fonte immissi sunt Græcè & Latinè in Opera Sancti Joannis Damasceni omnia, Editionis Basileensis in folio Anni 1575. à pag. 699. ad 814. quam procuravit Marcus Hopperus, Basileensis Theologus eruditus. Iidem quoque Romæ seorsim Græcè & Latinè recusi in octavo Anno 1583. apud Stephanum Nicolinum. Denique Latinè tantùm prodierunt inter Opera S. Joannis Damasceni omnia pag. 502. & seqq. Editionis Parisiensis Anni 1577. in folio, quam procuravit Jacobus Billius, Abbas S. Michaëlis in Eremo, Theologus in Græcis eximius, apud Guillelmum Chaudiere.

Guillelmus Cavus in *Historia litteraria* sæculo VIII.

in *Joannem Damascenum* ad Annum 730. hos tres Libros seu Orationes de Imaginibus *vult ad S. Joannem Damascenum pertinere ex consensu Eruditorum omnium.* Obstupui ad falsam hanc Cavi opinionem, peperci hippientibus illius oculis, quibus legere multum homini non licuit, qui alienâ usus operâ ad operis tantæ molis tantique meriti compositionem, erroribus multis falsisque judiciis famam suam proscidit, quam integram servasset, si per oculos legere licuisset. Si vir bonus contuliſſet hos tres libros de *Imaginibus*, eorumque doctrinam examinasset, cum doctrina S. Joannis Damasceni in libro 4. *De fide Orthodoxa*, quod Opus ferè unicum in Joanne Damasceno aliquanti meriti est, in absurditatem hanc & falsitatem, obtusæ oculorum aciei condonandam, non lapsus esset. Saltem legere debuerat Ludovicum Elliam du Pin in *Nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* sæculo VIII. in *Joanne Damasceno* ad Annum 730. qui cùm oculis gauderet acutioribus firmioribusque, atque utrumque Opus quoad doctrinam contuliſſet, ingenuè agnovit hos tres libros *de Imaginibus* non convenire quoad doctrinam cum libris *De fide Orthodoxa* Joannis Damasceni libro 4. cap. 16. pag. mihi 336. Περὶ τῶν Ἁγίων καὶ τῶν Λειψάνων αὐτῶν τιμῆς, *De veneratione Sanctorum & Reliquiarum ipsorum*; & cap. 17. pag. 343. Editionis Basileensis, *de Imaginibus*. Poterat quoque Cavus errorem suum corrigere, si consuluisset doctissimum ac diffusum Commentarium, quem scripsit Judocus Clichtoveus Neoportuensis, Doctor Theologus Parisiensis, in *libros quatuor de fide Orthodoxa S. Joannis Damasceni*, quos cum Operibus Sancti Doctoris impressos habes in Editione Basileensi, atque aliis etiam Editionibus. Verùm cùm de hoc argumento diffusè egerimus contra Cavum errantem, in Commentario nostro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi de *Damasceno* loquimur, huic

ite-

iterum immorari ac repetitione uti, supervacaneum mihi prorsus visum est.

Doctissimus Humfredus Hodius, S. T. Licentiatus & Collegii Wadhami Socius, edidit in 8. Oxonii è Theatro Sheldoniano Anno 1691. *Joannis Antiochent* cognomento *Malalæ Historiam Chronicam* ex MS. Codice Bibliothecæ Oxoniensis, cui *Prolegomena* doctissima ac prolixa præmisit, in quibus Paragraphis VII. & VIII. loquitur quidem sed perfunctorie tantùm atque breviter *De tribus Libris vel Orationibus de Imaginibus*, quæ Sancto Joanni Damasceno à nonnullis tribuuntur, & inter ejus Opera recensentur: sed confundere debuerant Guillelmum Cavum, quæ habet vir ille eruditus, & longiùs quàm Cavus videns, Horum Prolegomenorum Paragrapho XXXII. quem hîc integrum referam, ut videant, quàm falsum sit quod temerè Cavus scribit, *omnes Eruditos agnoscere hos Libros seu Orationes ad S. Joannem Damascenum pertinere.* „ §. „ XXXII. Ad *tertium* respondemus, quòd si concedamus Librum tertium *pro Imaginibus*, qui Jo. Damasceni nomine præmunitur, revera ab eo fuisse „ contextum: de illius tamen argumenti valore non „ immeritò dubitari possit. Etenim quis adeo in Operibus Antiquorum hospes, ut non cognoscat, quàm „ solent eorum Libri à Lectoribus interpolari? Quis „ nescit in more cum Lectorum tum Librariorum „ fuisse, cùm in Libris testimonia aliorum congesta „ reperirent, de suo, si quid occurrerit, adjicere & „ inserere? Nonne docent hoc Scripta Priscorum infinita, & ista præsertim in quibus coacervantur, ut „ in Libro prædicto *de Imaginibus tertio*, absque ulla „ orationis connexione, Antiquiorum fragmenta? „ Exemplo sint hujus rei *Anastasii Sinaitæ Theologicæ Quæstiones*, de quibus modò diximus: & ut alia mittam quæ tractant de eadem materia, de Imaginum

„ ſcilicet veneratione: Concilii Nicæni Acta, in quo-
„ rum Actione 4. ubi Scriptorum variorum pro *Ima-*
„ *ginibus* loca congeruntur, in aliquibus Exemplari-
„ bus habentur Teſtimonia varia præter ea quæ reve-
„ ra in Synodo iſta recitata ſunt. Sic in Codice an-
„ tiquo Bibliothecæ Vaticanæ, uti monitum Tomo 7.
„ Conciliorum Editionis Labbeanæ pag. ſeu col. 272.
„ in Nota marginali ad Concilii *Acta*, occurrunt *Pa-*
„ *trum pleræque ſententiæ*, quæ neque reperiuntur in
„ ullo alio Codice, neque ordini Interlocutionum re-
„ ſpondent. Sic quoque in Synodi iſtius Editione
„ Græca reperitur Narratio *ex Vita S. Joannis Je-*
„ *junatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani* ibidem 2. par-
„ te col. 767. quam neque agnoſcunt alia Exemplaria
„ Græca, neque *Vetus Editio Latina*. Dixi, *ſi con-*
„ *cedamus librum tertium pro Imaginibus, qui Joan-*
„ *nis Damaſceni nomine præmunitur, revera ab illo fuiſſe*
„ *contextum*: quia, ut liceat mihi quod res eſt dicere,
„ non deſunt quæ mihi perſuadeant *Tractatum iſtum Jo-*
„ *annis Damaſceni* nomine falſo prænotari: ut ſunt
„ alii varii de eodem argumento Tractatus ei falſò ad-
„ ſcripti, nempe Græculis ſequioribus illi tribuenti-
„ bus quidquid ferè habuerunt pro doctrina *Imaginum*,
„ ab Auctoribus anonymis conſcriptum, propter no-
„ men magnum, quod ex *Imaginum* defenſione is
„ ſibi comparaverat. De Tractatibus iſtis variis, &
„ quid nobis ſuppetat argumenti peculiaris contra Li-
„ brum prædictum, videatur in noſtra Diatriba *De*
„ *Scriptoribus Græcis variis*.

Opuſculum porro iſtud *trium Librorum ſeu Oratio-*
num de Imaginibus S. Joanni Damaſceno ſuppoſitum at-
que Græciæ recentiſſimæ fœtum eſſe, nobis ob ratio-
nes multas nec contemnendas, manifeſtum eſt. 1. et-
enim allegat Scriptores multis annorum centuriis, æta-
te S. Joannis Damaſceni ſæculo VIII. inclyti & ante

illius

illius medium mortui, inferiores, ut ex illius lectione constat. Lib. 5. pag. mihi 787. Basileensis Editionis in fol. allegatur Joannes Malala Patriarcha Antiochenus ex ejus *Chronico*, ubi Historia de Imaginibus ad longum deducta, quam hic referre nihil juvat. At constat Joannem Malalam, Chronici hujus Scriptorem, sæculo duntaxat decimo nec antea scripsisse aut floruisse, ducentis circiter annis S. Joanne Damasceno juniorem: quippe qui maximam Chronici sui partem verbotenus acceperit sibique adoptaverit ex Chronico *Georgii Hamartoli* seu *Peccatoris*, Monachi, qui Chronicon suum usque ad Annum 867. vel circiter deduxerit, juxta Leonem Allatium in Diatriba *De Georgiis & eorum scriptis* pagina 329. his verbis: „ Georgius Mo-„ nachus, qui gaudet *Hamartolus*, seu *Peccatorem* La-„ tinè diceres, *Chronicon* & ipse scripsit ab exordio „ mundi ad Michaëlem Theophili filium, quando & ipse „ vivebat, ex variis & diversis Chronographis & In-„ terpretibus sacris contextum, cujus Prologum refert „ pag. 331. & 332. tum ex Prologo ipsius Hamartoli: „ *Tandem in Michaële Theophili filio, qui rerum puer ad-„ huc potitus, Orthodoxam fidem in sacra olim Synodo pro-„ mulgatam restituit, consistimus.* Temerè ergo pag. „ 334. plerique dictum Hamartoli Chronicon Syn-„ cello adscribunt, ut adnotavit Gretserus, & inter „ alios Codex Ambrosianus Mediolanensis, cujus ver-„ ba suprà exscripsimus, ut humanissimis litteris, non „ multò antè, nos admonuit, virtute, religione & „ nobilitate insignis Paulus Sfondratus, Clericus re-„ gularis. Idem Chronicon legitur etiam Scoriaci in „ Bibliotheca Regia. Exstat etiam MS. in Bibliothe-„ ca Bavarica, ut habet Allatius idem in *Georgio Ta-„ rasii Syncello* pag. 326. quod inquit exstare MS. ab Ada-„ mo usque ad Alexium Comnenum, in Bibliotheca „ Vaticana, & in Cæsarea Viennæ Austriæ. Malala

igitur, qui hunc Georgium exscribit, circa Annum 920. nec antè floruisse debuit, quem transcribit Scriptor Librorum trium vel Orationum *de Imaginibus*. Si ergo, ut Pontificii Iconoduli volunt, S. Joannes Damascenus horum trium Librorum seu Orationum Scriptor est, illas ducentis circiter post mortem annis conscripsit.

2. Idem Scriptor trium Librorum seu Orationum *de Imaginibus* in Editione Græco-Latina Basileensi allegat in duobus locis *Quæstiones S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi ad Antiochum Principem*, quem cap. 6. hujus Dissertationis ad Scriptorem sæculi XIV. pertinere, demonstrativè probavimus. Sunt ergo hi tres Libri seu Orationes *de Imaginibus* S. Joanne Damasceno sæculi VIII. Scriptore sexcentis recentiores annis, ut probatum est. Ex locis allatis primus pag. 785. τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου ἐκ τῶν γραφικῶν ἑκατὸν κεφαλαίων πρὸς Ἀντίοχον ἄρχοντα καὶ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν· κεφάλαιον λθ'. *Sancti Athanasii ex centum capitibus scriptis ad Antiochum Principem, per interrogationem & responsionem: caput* 39. Οὐχ ὡς θεοὺς προσκυνοῦμεν τὰς εἰκόνας οἱ πιστοὶ, μὴ γένοιτο, ὡς οἱ Ἕλληνες· ἀλλὰ μόνον τὴν σχῆσιν καὶ τὴν ἀγάπην τῆς ψυχῆς ἡμῶν τῆς πρὸς τὸν χαρακτῆρα τῆς εἰκόνος ἐμφανίζομεν. *Absit ut quemadmodum Græci faciunt, nos Christiani tanquam Deos imagines adoremus: affectionem duntaxat & charitatis nostræ studium erga figuram personæ per imaginem expressæ declaramus.* Et pag. 807. postquam allegavit Sanctum Athanasium libro seu sermone 3. contra Arrianos, *ejusdem ad Antiochum Principem*: εἶτα τί φασι πρὸς ταῦτα; οἱ μὴ ἐπιτρέποντες προσκυνεῖν τοὺς χαρακτῆρας τῶν Ἁγίων; οὕσπερ δι' ὑπόμνησιν καὶ μόνον ἐκτυποῦμεν, καὶ οὐ δι' ἕτερον τρόπον. *Quid ad hæc illi, qui adversantur & negant, adorandas Sanctorum imagines? quæ propter memoriam solùm apud nos effinguntur, & non ob aliam rationem.* Habentur autem hæc eadem

To-

Tomo 3. Operum Sancti Athanasii in Quæstionibus ad Antiochum Quæstione 39. pag. 277. Editionis Anno 1693. à Benedictinis procuratæ Parisiis. Libri ergo illi tres seu Orationes *de Imaginibus* sunt S. Joanne Damasceno sexcentis annis recentiores, quippe quæ allegant testimonia ex *Athanasio Alexandriæ Archiepiscopo*, Græco homine recentissimo, quem sedis hujus Patriarcham LXXVI. qui sedem hanc ab Anno 1301. ad 1311. tenuerit, ac forsitan etiam ultra hunc Annum vixerit, & usque ad Palamitarum exortam hæresim, de qua tam multis in *Historia* sua Nicephorus Gregoras. Hæc contra hos Libros *de Imaginibus* S. Joanni Damasceno à Pontificiis absurdè & falsò imputatos.

3. Doctrina hujus Scriptoris *trium Librorum seu Orationum de Imaginibus* est omnino contraria doctrinæ S. Joannis Damasceni lib. 4. *De fide Orthodoxa* capp. 16. & 17. unde colligimus nullo valuisse judicio viros illos, qui Opusculum istud inter ejus Opera comportarunt. Lectione vel duntaxat levi opus erat, ut hoc agnosceretur, atque collatione exigua utriusque Operis Ignorantiam illorum vel animi levitatem detegamus. Cap. 16. pag. 336. ita inscribitur: Περὶ τῆς τῶν Ἁγίων καὶ τῆς Δεσποίνης αὐτῶν τιμῆς, *De veneratione Sanctorum & Reliquiarum ipsorum*. Cap. 17. pag. 343. Περὶ τῆς εἰκόνων προσκυνήσεως, *De adoratione Imaginum*, incipiens, Ἐπεὶ δὲ τίνες ἡμῖν καταμέμφονται, ὅτι προσκυνοῦμέν τε καὶ τιμῶμέν τε τὴν τε Σωτῆρος καὶ τῆς Δεσποίνης ἡμῶν εἰκόνα. *Quia nonnulli nobis exprobrant, quòd adoramus & veneramur Salvatoris nostri & Reginæ Deiparæ imaginem.* Contrariam autem huic Joannis Damasceni veræ sententiæ opinionem defendit ac confirmat *Scriptor trium Librorum seu Orationum de Imaginibus*, cujus diserta verba retulimus Num. seu Paragr. præcedente, Libro 3. de Imaginibus pag. mihi 785. Editionis Basilensis: *Absit*

ſit ut quemadmodum Græci faciunt, nos Chriſtiani tanquam Deos imagines adoremus: affectionem duntaxat & charitatis noſtræ ſtudium erga figuram perſonæ per imaginem expreſſæ declaramus. Et pag. 807. poſtquam allegavit Sanctum Athanaſium libro ſeu ſermone 3. contra Arrianos, ſubdit contra eandem Imaginum adorationem & omnem earum venerationem & cultum: *Quid ad hæc illi, qui adverſantur & non permittunt adorare Sanctorum imagines? quæ propter memoriam ſolùm apud nos effinguntur, & non ob aliam rationem.* An ita infans erat S. Joannes Damaſcenus, ut unam eandemque rem modò affirmaret, modò negaret? Quamvis enim Monachus ſimpliciſſimus fuerit, ac ubique librorum vel opuſculorum fabulas abſurdiſſimas ſcripſerit, quas agnoſcere etiam Papicolæ erubeſcunt: non ita tamen illum hebetem ac ſtupidum fuiſſe arbitror, ut contradictoria tam diſertis verbis ſcripſerit. Qui Opuſcula ejuſmodi ſub nomine Sanctorum Patrum producunt in lucem, Eccleſiam non ædificant, ſed irridendam procurant, atque à viris gravibus contemnendam. Si non me conjectura fallit, *tres iſti Libri ſeu Orationes de Imaginibus* ſcriptæ ſunt circa medium ſæculi XIV. contra Palamitas, qui Imagines frangebant ac comburebant, aliis Patriarchatuum Conſtantinopoleos & Hieroſolymæ Græcis oppoſiti, qui Imagines Sanctorum, Chriſti & Deiparæ adorabant & colebant, qui venerabantur, invocabant, auxilium in eorum invocatione ſperabant. Apud Syros porrò & Ægyptios ejuſdem Eccleſiæ Orientalis, in Patriarchatibus Antiocheno & Alexandrino, habebantur quidem Imagines & effingebantur, ſed ad ſolam Prototyporum memoriam, quia nec adorabantur omnino, nec invocabantur. Atque ita obtinuiſſe in his Eccleſiis Orientalibus à temporibus Nicænæ Synodi ſecundæ, quæ Anno 787. obtigit, vel ab Anno 842. ſeu ab ipſa reſtitutione Imaginum, quæ per-

permanserunt in hoc statu quo ab antiquo inveniebantur. Scriptor iste *trium Librorum seu Orationum de Imaginibus* vel Antiochenus vel Alexandrinus videtur, quia mediam quandam init viam *quoad Imagines*, inter Constantinopolitanos atque Hierosolymitanos, qui Imagines adorabant & colebant, & inter illos Hæreticos Palamitas, qui adurebant frangebantque. Erat ergo hic Syrus vel Ægyptius gente, apud quos Imagines quidem fingebantur, ut ait, id est, in usu & consuetudine erant, sed cultu & adoratione privabantur in his Patriarchatibus, unde lib. 3. *De Imaginibus* pag. mihi 785. Editionis Basileensis: *Absit ut quemadmodum Græci faciunt, nos Christiani tanquam Deos imagines adoremus, affectionem duntaxat & charitatis nostræ studium erga figuram personæ per imaginem expressæ declaramus.* Et pag. 807. *Quid ad hæc illi, qui adversantur & non permittunt adorare Sanctorum imagines? quæ propter memoriam solùm apud nos effinguntur, & non ob aliam rationem.* Igitur in ditione seu Ecclesiis hujus Scriptoris habebantur quidem Imagines, sed non adorabantur aut invocabantur, uti apud Græcos Constantinopolitanos & Hierosolymitanos, quibus id exprobrat: neque etiam adurebantur vel frangebantur, uti apud Palamitas obtinebat, cùm in regionibus suis *effingerentur*, non ad cultum quidem & adorationem, sed *propter memoriam duntaxat, & non ob aliam causam*, διὰ ὑπόμνησιν μόνον, καὶ μὴ διὰ ἕτερον τρόπον. Cùm ergo his verbis increpet & Græcos qui Imagines adorabant, & Palamitas qui adurebant frangebantque, atque inter utrosque mediam viam declinatis extremis teneat: indicat his verbis se scribere de Imaginibus, post Palamiticam sectam exortam, circa Annum 1350. seu sæculi XIV. medium. Unde nihil mirum, quòd is Scriptor citet *Quæstiones S. Athanasii ad Antiochum Principem*, quæ spectant ad Athanasium LXXVI. Alexandrinæ sedis

Patriarcham novissimum, qui ab Anno 1302. ad 1313. sedem hanc tenuisse creditur.

4. Methodus hujus Scriptoris *trium Librorum de Imaginibus*, atque scribendi ratio, altera omnino est ab ignorantia & obscuritate sæculi octavi, quod horridum tenebris fuit, ac Scriptores nullos magni nominis Orbi litterario obtulit. Ipse Sanctus Damascenus libro 4. *De fide Orthodoxa* maximè exiliter ac jejunè agit *de cultu sanctarum Reliquiarum ac de adoratione Imaginum*, cùm tamen occasio præclarissima esset, ut de his argumentis, quæ maxima contentione tunc disputabantur, cum prolixitate & ardore scriberet. Duobus enim duntaxat capitibus 16. pag. 336. & 17. pag. 343. summatim argumentum tangit, nihil allegans nisi ex Scripturis detortis atque à sensu naturali alienis, ad opinionem suam probandam: quæ scribendi ratio optimè convenit ignorantiæ atque obscuritati sæculi octavi: nihil allegans nec Conciliorum, nec veterum Patrum, aut Historicorum anteriorum, quo sententiam suam stabiliat: quamvis hoc Opus omnium S. Joannis Damasceni Operum optimum ab Eruditis censeatur. Contrà verò Auctor *trium Librorum seu Orationum de Imaginibus*, diffuso opere atque insigni & ad scopum collimante, congerit immensam sylvam testimoniorum Scripturæ, Patrum, Historicorum, ingenti curâ collectam: quâ probat se Scriptorem fuisse recentissimum, atque illa tempestate viventem, qua Scriptores multos in manibus haberet, quibus uteretur: quod sæculo recentis Græciæ XIV. non autem VIII. ignoranti ac tenebroso convenire potest, quo Eruditi illi censebantur, qui legere & scribere docti erant.

CA-

CAPUT NONUM.

Addita his Quæstionibus in Editione ultima Operum Sancti Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi omnium à Benedictinis procuratâ, esse ejusdem Athanasii ultimi, quem LXXVI. *Patriarcham recensent & scribunt.*

IN Editione Operum Sancti Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi omnium Benedictinâ, quæ Græcè & Latinè 3. in folio voluminibus Anno 1698. Parisiis facta fuit, sumptibus Joannis Anisson Typographiæ Regiæ Directoris, præmittuntur his *Quæstionibus ad Antiochum Principem* Tomo 3. pag. 252. *Sancti Patris nostri Athanasii Patriarchæ Alexandrini Doctrina ad Antiochum Ducem* ad pag. 264. ex MS. Codice 4249. Bibliothecæ Colbertinæ &c pag. 264. ad 268. *Sancti Patris nostri Athanasii Archiepiscopi Alexandriæ ad Antiochum Principem, De Dei judicio & variis inferni pœnis ac supplicis* ex MS. Codice Regio Græco 2570. Opuscula quæ nunquam edita fuerant, in lucem producta curis Bernardi de Montfaucon, qui in hac Editione procuranda atque ornanda primipilus fuit vir multi laboris ac judicii solidi. Præmisit autem his Opusculis insigne Monitum pag. 251. continens articulos quatuor, quos hîc referre non pigebit, licèt ipsis omnino non assentiar, maximè quoad Opusculorum istorum antiquitatem, quæ recentissima semper arbitratus sum.

„ 1. Antiochum quendam Athanasii ævo ipsique
„ Athanasio familiarem exstitisse, palam est ex Epi-
„ stola

„ ſtola ad Joannem & Antiochum excuſa Tomo 1. „ pag. 956. Qui Presbyter item fuit, ut Antiochus „ hic Presbyter ordinatus fuiſſe memoratur inferiùs. „ Quare ille fortaſſis Antiochus Presbyter occaſio „ fuit, ut nomine Athanaſii Opera ederentur varia, ad „ Antiochum nuncupata. Sed ſive iſtâ, ſive aliâ oc- „ caſione, conſcripta ejuſmodi Opera fuerint, palam „ eſt nequaquam Athanaſii illa eſſe, ſed alterius Scri- „ ptoris, Athanaſio ætate inferioris, ingenio longè „ imparis.

„ 2. Ex tribus hiſce Tractatibus ad Antiochum in- „ ſcriptis, duo priores, ſcilicet *Doctrina ad Antiochum*, „ & aliud ad Antiochum Opuſculum, nondum editi „ fuerant. An verò tria illa Opuſcula ejuſdem Scripto- „ ris ſint, minimè conſtat: non multùm tamen abſimile „ eſt orationis genus. Cæterùm antiqua ſunt ea omnia, „ nam duo quidem priora ex antiquis MSS. mutuati „ ſumus; *Quæſtiones* verò *ad Antiochum*, ab Anony- „ mo Ravennate ſeptimi, vel, ut alii putant, ſequio- „ ris ſæculi, edito per D. Placidum Porcheron, lau- „ dantur, loco infrà notando. Quæſtiones porro „ illas ad Antiochum poſtremo loco ponimus, ne ſe- „ jungamus à cæteris Quæſtionibus, quæ ad Antio- „ chum minimè inſcribuntur. De ſingulis quædam „ pertractanda nobis ſunt.

„ 3. *Doctrina ad Antiochum* Ducem otioſi homi- „ nis commentum eſt, ut nemo non videt, eo ta- „ men nomine pretioſa & commendanda eſt, quòd „ magnam libri Paſtoris partem, cujus Græca jam- „ diu interierunt, Græcè nobis exhibeat: & qui- „ dem ita puram, ita Latinis Hermæ Paſtoris con- „ ſonam, ut ad verbum ex eo utplurimum deſcri- „ ptam eſſe, conſpicuum ſit. Primò namque Scri- „ ptor iſte Antiochum nobis repræſentat adeuntem S. „ Athanaſium, infirmitatis corporeæ cauſâ; ut unà

„ pre-

„ precibus suis levet ægritudinem, & monitis viam
„ paret ad pœnitentiam. Huic Athanasius sanitati re-
„ stituto duodecim mandata tradit, quæ nihil sunt
„ aliud, quàm duodecim illa Hermæ Pastoris manda-
„ ta, quibus constat liber secundus, ita tamen ut non
„ integra semper, sed quibusdam ademptis afferat.
„ Deinde multa alia ex eodem libro hinc inde consuli-
„ tur: in postremo magnam & prolixam enarrat An-
„ tiochi visionem, quam item ex tertio Pastoris li-
„ bro ad verbum mutuatus est. Hoc itaque Opusculum,
„ licèt prima fronte ne flocci quidem faciendum vi-
„ deatur, maximi tamen est momenti, quippe cùm
„ libri illius Apostolorum ævo editi, & à toi Patribus
„ non sine laude memorati, multa & præclara nobis
„ fragmenta suppediret. Probo igitur consilio qua-
„ cunque Athanasii nomine in Manuscriptis circumfe-
„ runtur, edi curavimus: nam si, uti fiebant non-
„ nulli, nomina abjecissemus, quæ ab imperitis in-
„ elegantibusque Scriptoribus Athanasii nomine com-
„ posita essent, hoc Opusculum prima fronte repudia-
„ turi eramus, cum multis aliis quorum nullum sua uti-
„ litate caret. In MS. antiquo Ecclesiæ Carcassonen-
„ sis hic Tractatus sic inscriptus est, *Incipit doctrina vel*
„ *expositio Athanasii Sancti Alexandrinæ civitatis Episco-*
„ *pi*: sed Codicis illius nobis copia non est.

„ 4. Opusculum aliud subsequitur pag. 264. ad 268.
„ *ad Antiochum* nuncupatum stylo χυδαίῳ & parum
„ eleganti conscriptum, in quo postremum Dei judi-
„ cium & varia inferni supplicia multis enarrantur,
„ quod Athanasio adscribere ne cogitaverit quidem
„ quispiam, tantum scilicet ab illa Athanasii ἰσχνότητι
„ & elegantia abhorret. Hæc Bernardus de Montfaucon
in Operum S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi
omnium Editione ultima Parisiensi Monachorum Be-
nedictinorum, cui præfectus fuerat, Tomo 3. pag. 251.

in

in Admonitione Opusculorum sub nomine S. Athanasii ad Antiochum Principem præmissa, quibus diserte fatetur Opuscula hæc omnia nequaquam referre Magnum Athanasium; sed ab illius temporibus maximè ob nugas & puerilitates remota esse, licèt in MSS. Codicibus Patrum illius præferant, quorum titulos hîc dabimus.

1. Τῆς ἁγίας Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου Πατριάρχου Ἀλεξανδρείας Διδασκαλία πρὸς Ἀντίοχον Ἄρχοντα, *Sancti Patris nostri Athanasii Patriarchæ Alexandrini Doctrina ad Antiochum Ducem*, pag. 252. ex MS. Codice 4249. Bibliothecæ Colbertinæ.

Τῆ ἁγίᾳ Πατρὶ ἡμῶν Ἀθανασίῳ Ἀρχιεπισκόπῳ Ἀλεξανδρείας πρὸς Ἀντίοχον ἄρχοντα, *Sancti Patris nostri Athanasii Archiepiscopi Alexandriæ ad Antiochum Ducem*, de variis potius Informi, pag. 264. ex MS. Codice Græco 2570. Regiæ Bibliothecæ.

Sancti Patris nostri Athanasii Archiepiscopi Alexandriæ ad Antiochum Principem de multis & necessariis Quæstionibus in divina Scriptura controversis, quas nemo Christianus ignorare debet, pag. 268. ad 301. ex MS. Codice Bibliothecæ Palatinæ, de quibus cap. 1. Dissertationis hujus egimus. His Quæstionibus, quæ in editis & MS. Palatino Codice CXXXVI. numerantur, addidit Bernardus Quæstionem CXXXVII. articulis XIII. distinctam à pagina 301. ad 306. quam Athanasio non esse indignam arbitratus est, & in nonnullis Codicibus separatim positam reperit. Idem pag. 306. ad 311. addidit Quæstiones alias XXXVI. sed præcedentibus sat diffusis longè breviores, & hanc ob causam valde dissimiles, quibus hæc pauca præmittit pag. 306. *Quæstiones sequentes in Evangelia, ex Cod. Regio 2431. nunc primùm in lucem prodeunt, adjiciuntur porro in eodem Codice, ad easdem Quæstionis* CXXXVI. *ad Antiochum.*

De-

Denique idem Athanasianorum Operum editor & illustrator Bernardus de Montefalconis à pag. 355. ad 358. addit Græcè & Latinè Ἀθανασίου Πατριάρχου Ἀλεξανδρέως ἐκ τοῦ κατὰ Λατίνων λόγου, *Athanasii Patriarchæ Alexandrini ex sermone contra Latinos*: desumptum ex MS. Codice Regio Græco 2271. pag. 155. ad marginem Operis *Sancti Justini ad Zenam*. Nec mihi dubium, quin Opuscula hæc omnia ad unum atque eundem Athanasium Alexandrinum Archiepiscopum non pertineant, cui in MSS. Codicibus adscribuntur, sed ad illum recentissimum sæculi XIV. Scriptorem, quem LXXVI. numerant, qui ab Anno 1302. ad 1311. hanc sedem possedit, ac doctrinâ insignis fuit, Romanæque Ecclesiæ cum aliis Græcis adversarius esse potuit. Idem quoque dicendum de *Quæstionibus aliis seu secundis*, quæ proferuntur ex MS. Codice Palatino pag. 311. ad 335. & de *Quæstionibus aliis* XX. ab eodem Codice MS. quæ à pag. 335. ad 343. extenduntur. Inscribuntur enim, Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρέως, uti Opuscula alia allata superius.

CAPUT DECIMUM.

Collectorem & Scholiasten Operum Sancti Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi omnium, Editionis Græco-Latinæ Parisiensis 1698. *à Benedictinis Monachis procuratæ, amplecti de his Quæstionibus opinionem nostram.*

ACcuratissimum fuisse Bernardum de Montfaucon Monachum Benedictinum, circa Quæstiones istas sub nomine *S. Athanasii ad Antiochum Principem* To-

mo

mo 3. pag. 268. constat ex Catalogo MSS. & Editorum, quibus in Editione hujus tomi usus fuit, quem huic Tomo post Catalogum Opusculorum habet. *Quæstiones primas* 136. contuliſſe ſcribit cum MSS. Codicibus Regiis 2431. 2892. 2910. 2937. Quæſtio autem CXXXVII. pag. 301. habetur ſejunctim, nec Quæſtionum more, in Codice Regio 2415. & in Codice vetuſto, quem ipſi humaniter communicavit vir Cl. Toinardus. Nec ejuſdem diligentia minor circa *Quæſtiones ſecundas* 130. pag. 311. ad 335. quas contulit cum MS. Regio 2431. In Admonitione autem ad Quæſtiones 136. eruditâ pag. 261. fatetur ingenuè has Quæſtiones S. Athanaſio Magno indignas prorſus eſſe, iis verbis quæ cap. 2. Diſſertationis hujus retulimus, nec hîc loci repetere convenit. In Admonitione ad Quæſtiones ſecundas ſeu poſteriores 130. pag 311. diſertè ſententiam noſtram amplectitur de tempore, quo Quæſtiones iſtæ collectæ vel conſcriptæ ſint his verbis: *Hinc verò perſpicuum eſt, excerptas ex multis Auctoribus, & in unum coactas eſſe has Quæſtiones, atque ex iis quæ de Francis leguntur, Quæſtione 76. pag. 323. videntur in unum corpus redactæ poſt Expeditiones Francorum in Orientem, niſi fortè Francorum nomen ibi adjectitium ſit.* Idemque colligitur ex Quæſtione 44. Quæſtionum priorum, unde unum eundemque Auctorem Quæſtiones priores & poſteriores agnoſcunt: ut ſub initium capitis quarti Diſſertationis hujus docuimus. Conſtat verò Occidentalium Expeditiones in Orientem ad recuperationem Palæſtinæ ſeu Terræ Sanctæ à Saracenis occupatæ, inceptiſſe ſub Urbano ſecundo Romano Pontifice circa Annum 1098. atque repetitis ſæpius irruptionibus in Orientem perrexiſſe, ſub diverſis Ducibus, uſque ad Annum 1270. quo Galli ultimam ſub Ludovico nominis IX. Francorum Rege ad partes tranſmarinas Expeditionem infauſtiſſimam

Re-

Regique ſuo emortualem ſuſceperunt, unde in Galliam reverti Anno 1272. induciis cum Sultano factis compulſi ſunt. Rectè ergo Scholiaſtes Benedictinus obſervat ad has Quæſtiones *Admonitione* prævia ſecundas, factas illas eſſe *poſt Expeditiones Francorum in Orientem*, quos Quæſtione 76. pag. 323. inquiunt *ipſos eſſe, & non Judæos, qui Dominum Jeſum Chriſtum cruci affixerant.* Cùm innumeras injurias & atrocitates Græcis Orientalibus Franci advenæ feciſſent, infamiam apud illos aſſequuti, modis omnibus à Palæſtinis & Græcis diffamabantur, omnibuſque etiam Saracenis infidelibus deteriores ac crudeliores cenſebantur, unde credebantur ab illis ſoli idonei, qui Chriſtum cruci affixiſſent. Hoc tamen non niſi poſt multos annos à regreſſu Francorum in Galliam ſcribi à Græco illo recentioris ætatis potuit, nempe ab Athanaſio Alexandrino Archiepiſcopo, ſub cujus nomine hæ Quæſtiones circumferuntur, LXXVI. ut numerant, Patriarcha Alexandrino, juxta Euſebium Renaudot, in *Chronologia Patriarcharum Alexandrinorum*, ut ſuprà cap. 5. Diſſertationis hujus relatum eſt: quem certis argumentis ab Anno 1302. ad 1313. ſedem hanc Patriarchalem occupaſſe docuimus, atque eſſe harum Quæſtionum tàm priorum CXXXVI. quàm poſteriorum CXXX. verum & indubium Scriptorem probavimus.

2. Cùm autem in Patriarchatibus Antiocheno & Alexandrino, apudque Syros & Ægyptios Orientalis Eccleſiæ, imagines quidem effingerentur & in templis collocarentur, non tamen colebantur, non adorabantur, non invocabantur, uti fiebat apud Græcos Patriarchatuum Conſtantinopoleos ac Hieroſolymæ. Hinc ille Athanaſius Alexandrinus Patriarcha LXXVI. morem & doctrinam Eccleſiæ ſuæ in Quæſtionibus iſtis ſequutus, docet libro I. Quæſtionum ad Antiochum ſeu Quæſtionibus prioribus Quæſtione 39. pag. 277. Editionis Benedictinorum, *imagines ab ipſis non adorari*, his verbis: Οὐχ ὡς θεοὺς προσκυ-

νεμεν τὰς εἰκόνας οἱ πιστοὶ, μὴ γένοιτο, ὡς οἱ Ἕλληνες· ἀλλὰ μόνον τ ἀχήζιν ϗ τ ἀγάπην τ ψυχῆς ἡμῶν τ πρὸς τ χαραχτῆρα τ εἰκόν ἐμφανίζομεν· ὅτεν πολλάκις ϗ χαραχτῆρ λειανθέντ ὡς ξύλον ἀργὸν τ ποιε εἰκόνα καίομεν &c. οἱ δὲ ἐξ ἀλαζωνείας ἀποτρεφόμενοι προσκυνεῖν τ σαυρὸν ϗ τὰς εἰκόνας, λεγέτωσαν οἱ ἀνόητοι, πῶς μέρα πολλάκις ἔβλυζαν αἱ ἁγίαι εἰκόνες δυνάμει Κυρίκ; πῶς βέλ δεξαμένη ἄψυχ σήλη, ὡς, ἐνσώματ φύσις, αἷμα προχόξως ἐξήγαγεν; πῶς ἐν σωρῶν ϗ λειψάνων ϗ εἰκόνων πολλάκις δαίμονες βοῶντες ἐπελαύνονται; ἵνα δὲ τὰς ἄφρονας ἐντρέψωμεν ἐπὶ πλεῖον, ἄκουσον λόγον ἐκ Πατέρων ἡμῶν. διηγηθέντα προ εἰκόνας; ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις, τινὶ τ ἀσκητῶν ἐπετίθετο ϗ διηνόχλει ὁ πονηρὸς δαίμων, ἐν μιᾷ οὖν φαίνεται αὐτῷ αὐταῖς ὄψεσιν τὸ πνεῦμα λέγων, ὅτι ἐκὼ θέλης ἵνα μή σε πολεμῶ, μὴ προσκυνήσῃς τ εἰκόνα ταύτην, ϗ ἀφίσαμαι ἀπόσ· ἣν δὲ ἡ εἰκὼν τ ἁγίας Θεοτόκ· εἶτα τί φασι πρὸς ταῦτα, οἱ μὴ ἐπιτρέποντες προσκυνεῖν τὰς χαραχτῆρας τ ἁγίων, ὥσπερ δὲ ὑπόμνησιν ϗ μόνον ἐκτυποῦμεν, ϗ οὐ δι' ἕτερον τρόπον; ϗ οὕτως μὲν προ εἰκόνων λόγ βραχέων λόγ. Τὸν δὲ σαυρὸν, πρόδηλον, ὅτι διὰ τ σαυρωθέντα ἐν αὐτῷ Χρ σὸν προσκυνοῦμεν οἱ πιστοὶ, ϗ ἀσπαζόμεθα. „ Nos fi-
„ deles minimè adoramus imagines tanquam Deos,
„ ut Græci faciunt, absit: sed tantummodo affectum
„ & amorem animæ nostræ erga imaginis personam
„ significamus. Quamobrem plerumque ablatâ & de-
„ letâ figurâ, id quod olim imago fuit, ut lignum
„ inutile comburimus, &c. Qui verò præ superbiâ
„ crucem & Sanctorum imagines adorare refugiunt,
„ dicant insani, quomodo non rarò è sacris imagini-
„ bus virtute Dei manarunt unguenta? Quomodo in-
„ animata statua telo confossa sanguinem, velut cor-
„ porea natura, mirabiliter profuderit? Quomodo
„ tumulis, reliquiis & imaginibus sæpe Dæmones cla-
„ mantes expellantur? Ut autem insanos magis con-
„ fundamus, audi sermonem quem Patres nostri de
„ qua-

„ quadam imagine narraverunt. Jeroſolymis cuidam „ Aſcetæ inſidiabatur & moleſtus erat malus Dæmon. „ Quodam igitur die, ei ipſis oculis videndus appa„ret ſpiritus inquiens: ſi velis ut te non impugnem, „ noli hanc adorare imaginem, & à te diſcedam. „ Erat autem Sanctæ Deiparæ imago. Quid ad hæc „ dicendum habent ii, qui Sanctorum effigies vetant, „ vel non permittunt adorare? quas memoriæ dunta„xat cauſâ, non aliam ob rationem effingimus. At„que hæc quidem breviter de imaginibus dicta ſunt. „ Quod autem nos fideles crucem adoramus & ſalutamus, manifeſtum eſt id nos agere propter Chri„ſtum, qui in ea affixus eſt.

Sicut juxta Benedictinos Operum Magni Athanaſii Editores, hæ *Quæſtiones ad Antiochum Principem* Magno Athanaſio ob multas rationes prorſus indignæ ſunt: convenire tamen videntur Athanaſio alteri Patriarchæ Alexandrino Græciæ recentiſſimæ ac ſæculi XIV. quem Patriarcham hujus ſedis LXXVI. enumerat Euſebius Renaudotus, ut cap. 5. Diſſertationis hujus attulimus, in *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum à Sancto Marco ad finem ſæculi* XIII. pag. 599. cum Catalogo Patriarcharum ſequentium ad ultima uſque tempora adjuncto, edita Pariſiis Anno 1713. in 4. quem juxta calculum noſtrum, ab Anno 1302. ad 1313. per annos undecim, ita ſcribente Renaudoto, Eccleſiam Alexandrinam rexiſſe diximus, Athanaſio alteri Patriarchæ Conſtantinopolitano ſupparem, cum quo tamen ob morum diſcrepantiam aluiſſe diſcordias non ignobiles, apud Nicephorum Gregoram ætatis ejuſdem Hiſtoricum legimus. Hunc igitur Athanaſium Scriptorem iſtarum Quæſtionum ſtatuimus. Inquit Euſebius Renaudot hunc Athanaſium LXXVI. Patriarcham Alexandrinum in Laterculo Abulbirkati, fuiſſe filium Kalil, electum Anno Martyrum 967. ut

Wanſlebius ſcribit, hoc eſt, Anno Jeſu Chriſti 1252. atque mortuum poſt annos undecim regiminis, Anno 1262. Sed cùm omnia, quæ narrat in hac Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Alexandrinorum Renaudotus, fabulis quàm hiſtoriæ ſolidæ ac veræ proximiora ſint, ac opus illius *fabularium Eccleſiæ Alexandrinæ* meritò nuncupari poſſit: hanc ob cauſam opus tam modicæ fidei relinquentes Mythologicis, *annos undecim Athanaſii hujus in Eccleſia Alexandrinâ*, aſſignavimus Anno 1302. ad 1313. juxta Nicephori Gregoræ dignam fide Hiſtoriam lib. 7. cap. 1. ubi de illo ſermonem habet, occaſione Athanaſii Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarchæ, tunc temporis iterum ad illam regendam aſſumpti. Dignior autem fide eſt Nicephorus Gregoras Auctor ſynchronus, quàm plures Abulbirkati & Wanſlebii, ſolis fabulas amantibus cogniti.

Ex hac porro Reſponſione 39. quam ſupra Græcè & Latinè retuli, conjicio Athanaſium hunc LXXVI. Patriarcham Alexandrinum rexiſſe Eccleſiam hanc, non ab Anno 1252. ad 1262. ut Renaudotus fabulatur, neque ab Anno 1302. ad 1313. ut antea diximus; ſed per multos annos ſequentes, quos taxare non poſſumus, uſque ad Sectam ſeu Hæreſin Palamitarum, quæ nonniſi poſt Annum 1330. apud Orientales caput erexit, magnarumque turbarum & multorum utrinque librorum occaſionem ſcribendorum obtulit. Has itaque *Quæſtiones Athanaſii Alexandrini ad Antiochum Principem* ſcriptas eſſe poſt Palamitas ſævientes, hoc eſt, poſt Annum 1330. ex Reſponſione hac ad Quæſtionem 39. apertum mihi prorſus eſſe videtur.

Hic erat ſtatus imaginum ſæculo XIV. in Orientalibus Eccleſiis. Græci omnes vel Orientalis Eccleſiæ ſubjecti in tres velut claſſes ſeu differentias, quoad imagines, diſtinguebantur. Qui erant in Patriarchatibus Conſtantinopolitano & Hieroſolymitano, utplurimum ima-

imagines venerabantur, adorabant, invocabant, ſtatuas veſtibus pretioſis ne nudæ frigerent induebant, cultum denique omnem quem poterant iconibus exhibebant. At alii è contra in Patriarchatibus iiſdem & regionibus, hunc cultum ut idololatriam conſiderantes refugiebant, imagines adurebant, frangebant dum impunè id poterant, reliquias Sanctorum in cloacas & loca ſordida projiciebant, omnem illis injuriam inferentes, qui Palamitæ dicebantur, atque in magno numero in Eccleſiis pleriſque erant. Tertii quidam exſtabant in Patriarchatibus Antiocheno atque Alexandrino, Syri omnes & Ægyptii, qui mediam quandam viam inter *adorantes* & *adurentes* tenebant, uſum quidem imaginum habentes atque effingentes, nullum eis cultum exhibebant, nullam adorationem aut invocationem, ſed illas tantùm ſervabant in templis, ſolius memoriæ cauſâ, & non ob aliam rationem. Hoc conſtare poteſt ex Reſponſione allatâ ad Quæſtionem 39. qua Athanaſius hic noſter, utpote Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarcha LXXVI. juxta morem Eccleſiæ ſuæ & conſuetudinem inquit: *Quid ad hæc dicendum habent ii, qui Sanctorum effigies vetant, vel non permittunt adorare, qui memoriæ duntaxat cauſſâ, & non aliam ob rationem effingimus?* εἶτα τί φασι πρὸς ταῦτα, οἱ μὴ ἐπιτρέποντες προσκυνεῖν τὰς χαρακτῆρας τῶν ἁγίων, οὓς περ δι' ὑπόμνησιν καὶ μόνον ἐκτυποῦμεν, καὶ οὐ δι' ἕτερον τρόπον; quibus diſertè arguit Palamitas imaginum fractores & combuſtores, licèt non nominatos: unde concludimus Quæſtiones iſtas eſſe ſcriptas poſt Sectam Palamitarum ad Annum circiter 1330. emergentem, ab Athanaſio noſtro noviſſimo Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarcha, qui diutiùs quàm ab Anno 1302. ad 1313. ſedem hanc tenuerit, atque etiam in ea uſque poſt Sectam Palamitarum emergentem & ſævientem permanſerit. Eoſdem Palamitas objurgat quoque, dum inquit, *Qui verò præ ſuperbia crucem & Sanctorum*

imagines adorare refugiunt, dicant insani, quomodo non rarò è sacris imaginibus virtute Dei, &c. unde illos appellat *insanos*, τὸς ἀνοήτους, λαλήτωσαν οἱ ἀνόητοι: atque iterum postèà eosdem injuriâ simili compellat, *ἵνα δὴ τὸς ἀφρονας ἐντρέψωμεν ἐπὶ πλεῖον*, ἄκουσον, &c. *ut autem hos insipientes confundamus ampliùs, audi*, &c. Constat igitur Quæstiones istas esse scriptas post Palamitas imaginum & reliquiarum contemtores ac irrisores, quos ob superbiam taxat.

Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ*, ubi de *Historia Byzantina* agit *Nicephori Gregoræ*, in Catalogo rerum & verborum hujus Historiæ, quam descripsit, refert nobis omnem tragœdiam Gregorii Palamæ, quatuor aut quinque locis, nempe verbo *Palamas* pagina 336. juxta quem Iconomachus p. 714. imò ipsis pejor p. 717. Palamas & Philotheus Patriarcha CP. in Eucharistia corpus & sanguinem Christi non agnoscunt, sed typum & figuram. 712. 713. Gregorius Palamas Gregorii Drimyis discipulus XIX. 1. pag. 521. Episcopus ab Isidoro Patriarcha ordinatus XV. 12. Anathematismi in Palamam pronuntiati à Joanne Caleca Apreno CP. Patriarcha, qui ab Anno 1334. ad 1346. sedem tenuit, pag. 583. Tomus Palamæ ab eodem rejectus 482. qui Synodum metuit 550. Synodus adversùs Palamam Anno 1345. habita 523. Acta Synodi Palamiticæ Ann. 1351. habitæ pag. 561. & sequentibus. Idem verbo *Iconomachi*, pag. 332. Palamitæ Iconomachi pag. 591. 599. 711. 712. qui ἄσματα & λόγους panegyricos non aboleverunt 716. & seqq. imagines à Palamæ Sectatoribus in ignem conjectæ p. 593. Item *Isidorus Buchiras* Monembasiæ Episcopus, juxta Bandurium apud Fabricium pag. 743. in Conspectu Chronologiæ Constantinopolitanæ, factus P. Annis 1347. 1348. 1349. quo defunctus est. Juxta eundem Fabricium Tomo VI. ejusdem Bibliothe-

cæ

cæ pag. 332. Palamæ fautor fuit xv. 10. 12. xviii. 1. 2. Anathematismi in illum scripti xv. 10. Isidori canones igne deleti xvi. 5. pag. 121. Hymni Sanctorum de Sancta Trinitate antiquitus in Ecclesia cantâti, ab Isidoro Patriarcha CP. aboliti, & in eorum locum, quos recens ipse composuit, introducti 521. Denique verbo *Philotheus* habet, Philotheum P. CP. ab Anno 1354. antea Heracleensem Archiepiscopum, ipsum cum Palama feciſſe, juxta Cantacuzenum in extremo Historiæ, unde destituitur, Callisto Anno 1355. in ejus locum substituto ad Annum 1362. Callisto autem Anno 1363. defuncto, Philotheus restituitur, qui per annos xiv. Ecclesiam rexit, usque ad Annum 1376. quo mortuus est. Fautores hi atque alii plures Palamiticæ Sectæ, quam impugnat Scriptor noster in Quæstionibus illis, quæ sub nomine falso Sancti Athanasii Alexandrinæ Ecclesiæ Archiepiscopi circumferuntur, de quibus hæc ex melioris notæ Scriptoribus collecta à nobis satis fuerint.

FINIS.

CATALOGUS LIBRORUM,

QUOS

SAMUEL LUCHTMANS

vel ipse Typis mandavit, vel quorum major ipsi copia suppetit.

Arriani Expeditio Alexandri Magni & Historia Indica cum Noti. Gronovii, Græc. & Lat. in Fol.

——— Ars Tactica, acies contra Alanos, Periplus Ponti Euxini, Periplus Maris Erythræi, liber de Venatione &c. Gr. & Lat. cum Notis Blancardi. 8.

Astori (*Joh. Ant.*) Comment. in Antiquum Alcmanis Poëtæ Laconis Monumentum allatum è Græcia, *Venet. cum fig.* in Fol.

——— Epistola de Deo Brotonte ad Illustriss. Apostolum Zenum. *Venetiis*, in Fol.

Avancini Poësis Lyrica. 12.

Bachmanni Theologia Naturalis cum præfatione S. van Til. 12.

Bocharti (*Samuelis*) Opera Omnia, hoc est, Hierozoicon, sive de Animalibus S. Scripturæ, Geographia Sacra, sive Phaleg & Canaan, & aliæ dissertationes antehac ineditæ. in Folio. 3 voll.

Buxtorfii Epitome Grammaticæ Hebrææ, emendata à J. Leusden. 8.

Cæsar (*Julius*) cum notis D. Vossii & J. Davisii aliorumque, & J. Celsus de vita J. Cæsaris, edente J. G. Grævio. 8.

Calderwood (*Davidis*) Altare Damascenum, seu Ecclesiæ Anglicanæ Politia. 4.

Ciceronis Epistolæ ad Familiares cum notis Minellii. 8.

Cocceji (*Joannis*) Opera Anecdota, Theologica & Philologica. 2. voll. in Folio.

Corpus Juris Civilis. *apud Blaeu.* 8.

Crameri (*Joh. Jacob.*) de Ara Exteriore Templi secundi exercitationes Philologicæ. 4.

Curtius (*Quintus*) cum notis Variorum, sc. Salmasii, Gronovii, Freinshemii &c. hujusque & vetust. supplementis. 8. cum fig.

——— ad modum Minellii. 12.

——— in 12.

Douzæ (*Jani*) Poëmata edente G. Rabo. 8.

Ennii Fragmenta H. Columnæ accurante Hesselio. 4.

Epicteti Enchiridion & Cebetis Tabula Gr. & Lat. in 24.

Erasmi Colloquia cum notis Variorum. 8.

——— Colloquia. 24.

Eucli-

Euclides demonſtratus ab H. Coetſio.
——— idem ab Chr. Melder cum notis J. Bernardi. 12.
Fabricii (*Franciſci*) Chriſtus Unicum & perpetuum Eccleſiæ Fundamentum XIV. Diſſertat. Philolog. Theolog. demonſtratus. 4.
Florus cum Notis Minellii. 12.
——— in 24.
Francii Specimen Eloquentiæ Exterioris. 2 voll, 8.
——— Hiſtoria Animalium Sacra. 12.
Galæi (*Servatii*) Oracula Sibyllina Gr. & Lat. 4.
——— Diſſertationes de Sibyllis, earumque Oraculis. 4. *cum fig.*
Gatakeri (*Thomæ*) Opera Critica, diſſertatio de Stilo N. Teſt. Adverſaria Miſcellanea, Marci Antonini Imp. de Rebus ſuis lib. XII. Commentario perpetuo Illuſtrati Gr. & Lat. in Fol.
Glaſſii (*Salomonis*) Chriſtologia Moſaica, è prioribus capitibus Geneſeos, & Chriſtologia Davidica e Pſalm. CX. conſcripta, ut & ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑ Meſſiæ Prophetica cum Explicatione Cap. LXII. Eſaiæ, &c. 4.
Gronovii (*Jacobi*) Exercitationes Academicæ de Nece Judæ ΤΟΥ ΠΡΟΔΟΤΟΥ, & Cadaveris ignominia, accedit Defenſio, ut appareat tempus ac rationem necis & cadaveris inſaniam ab ipſis Euangeliſtis fuiſſe clare indicata. 4.
——— Oratio de Geographiæ Origine, Progreſſu ac Dulcedine. 8.
——— decreta Romana & Aſiatica, pro Judæis ab Joſepho collecta, & recenſio aliquot locorum Suidæ. 8.
——— Recenſio brevis mutilationum Suidæ Cantabrigienſi illatarum. 8.
——— Ludibria Malevoli Clerici. 8.
——— Diſſertatio de lege Regia. 8.
Gyraldi (*Lilii Gregorii*) Opera Omnia. in Folio *cum fig.*
Heidani (*Abrah.*) Corpus Theologiæ Chriſtianæ, 2 vol. 4.
Herodotus Halicarnaſſæus Gr. & Lat. ſecundum Codicem M. S. Bibliothecæ Florentinæ collatus & notis Illuſtratus a Th. Gale & J. Gronovio, in Folio.
Hofmanni (*Joh. Jac.*) Lexicon Univerſale, Hiſtoriam Sacram & Profanam, Chronologiam ad hæc uſque tempora, Geographiam & Veteris & Novi Orbis; Principum Familiarum Geneologiam; tum Mythologiam, Ritus, Cærimonias, Antiquitatem; Virorum Celebrium, Animalium, Plantarum, Metallorum, Lapidum, Gemmarum Nomina, Naturas, Vires explanans, 4 voll. in Folio.
Holzalbi (*Davidis*) Exegeſis Philologico-Theologica Pſalmi XVI. in qua Analyſi perſpicua Illuſtratur, ex fonte Hebræo explicatur, & ε παρερμηνείας vindicatur. 4.

Ho-

Homerus Gr. & Lat. 2. voll. 12.
Hottingeri (*Joh. Henr.*) Discursus de Incestu, Creationis, & Curtus opere ex Codice תנינות Cap. II. Misn. I. petitus; Latinitate donatus, ex probatissim. Hebræorum Comment. illust. 4.
Hulsius de Vallibus Prophetarum sacris, accedunt ejusdem Figuræ Temporum. 4.
——— Pseudo-catholicæ Religionis Inanitas opposita Prætensæ ejus Veritati in Elencho Davidis Huguenin Apostatæ Famelici.
——— Systema Theologiæ. 8.
——— Melchisedecus una cum Parente ex tenebris, cum Scripturæ S. tum Fabulosæ Gentilis emergens & caput prætollens. 8.
——— Commentarius in Israëlis Prisci Prærogativas ac bona sub V. Testamento. 4.
——— Cogitationes de Desiderio Mulierum & Deo Mausim. 12.
Iensii Ferculum Literarium. 8.
Ionstoni (*Arturi*) Psalmorum Davidis Paraphrasis Heroica. 12.
Iudicium Academico-Politicum de permittendo Matrimonio Leviri cum fratria. 4.
Iustiniani Institutiones litteris rubro-nigris. 12.
Iuvenalis & Persius cum Scholiis Veterum & comment. integris selectis & conquisitis fere omnium Erudit. ed. Henninio. *cum fig.*
Knibbe (*Davidis*) Manuductio ad Oratoriam Sacram, Doctorum præceptis, exemplis perpetuis & Concionibus quibusdam paradigmaticis concinnata &c. 8. 2. voll.
Leigh Critica Sacra & I. Heeser Prodromus Criticus. in Folio.
Leusden (*Joh.*) Philologus Hebræo-Mixtus, una cum Spicilegio Philologico, *cum fig.* 4
——— Compendium Biblicum Veteris Test. editio tertia. 8.
——— Compendium Novi Test. Græcum, editio quinta, cui verborum formæ & tempora sunt adjecta. 8.
Lydii (*Jacobi*) Syntagma Sacrum de re militari & de Iurejurando Dissert. cum notis S. van Til. *cum fig.* 4.
Marckii (*Joh.*) Commentarius in præcipuas quasdam partes Pentateuchi. 4.
——— Exercitationes Miscellaneæ, sive selectæ Disputationes & Orationes. 8.
——— Exercitationes Iuveniles. 8.
——— Analysis Exegetica Capitis LIII. Iesaiæ. 8.
Meibomii (*Marci*) Davidis Psalmi duodecim, & totidem S. Scripturæ V: Test. capita, prisco Hebræo metro restituta, & cum tribus Interpretationibus adaptata, in Fol.
Minucii Felicis Octavius, cum notis Variorum ex recensione I. Gronovii. 8.

Nomii (*Fred. Anglarienſis, Presbyteri, Arguti inter Concordes Academici Inſenſati*) Liber ſatyrarum ſexdecim. 8.

Otthonis (*Joh. Henr.*) Hiſtoria Doctorum Miſnicorum, qua opera etiam Synedrii Magni Hieroſolymitani Præſides & Vice-Præſides recenſentur. 8.

Ovidii Triſtia cum notis Minelli. 12.

Ouzeel (*Philippi*) Introductio in Accentuationem Hebræorum Metricam & Proſaicam, & de Auctoritate & Uſu Accentuum. 4.

Oweni (*Johannis*) Theologumena, ſive de Natura, Ortu, Progreſſu & Studio Veræ Theologiæ. 4.

Plauti Comœdiæ cum notis Variorum ex recenſione I. F. Gronovii. 8. 2 voll.

Polyæni Stratagemata Gr. & Lat. cum notis Iſ. Caſauboni & P. Maaſvicii. 8.

Ptolemæi Tabulæ Geographicæ, in Folio.

Salluſtius in 24.

Sauberti (*Johannis F.*) de Sacrificiis Veterum Conlectanea Hiſtorico-Philologica, & Sacris Hebræorum Perſonis Commentarius. *cum fig.* 8.

Schaef (*Caroli*) Lexicon Syriacum Concordantiale, Omnes N. Teſtamenti Syriaci Voces, & ad harum illuſtrationem multas alias Syriacas & linguarum affinium dictiones continens. 4.

Scylacis Geographica antiqua, Anonymi periplus Mæotidis paludis & Ponti Euxini. Agathemeri Hypotypoſis Geographiæ. Græc. Lat. Cum Notis I. Voſſii, I. Palmerii, S. Tennulli, Edente I. Gronovio. 4.

Senguerdii (*Wolferdi*) Philoſophia Naturalis, *cum fig.* 4.

Severus Sanctus de mortibus Boum cum notis Weitzii & Seberi. 8.

Sigonius (*Carolus*) de Republica Hebræorum cum notis Nicolai. 4.

Spanhemii (*Friderici*) Geographia, Chronologia, Hiſtoria Sacra & Eccleſiaſtica, in Folio.

Taciti (*Cornelii*) opera quæ exſtant ex recenſione & cum Animadverſion. & Notis T. Ryckii, 2 vol. 12.

Teſtamentum Syriacum cum Verſione Latina, variis Lectionibus, & Lexico Syriaco Concordantiale. 2 vol. 4.

Theſaurus Theologico-Philologicus, ſive Sylloge Diſſertationum Elegantiorum ad Selectiora V. & N. Teſt. loca, 2 vol. in Fol.

Til (*S. van*) Compendium Theologiæ Naturalis & Revelatæ. 4.

Triglandii (*Jacobi*) Diſſertatio de Ioſepho Patriarcha in ſacri Bovis Hieroglyphico, ab Ægyptis adorato. 4.

Witſii (*Hermanni*) Meletemata Leidenſia, ſive Prælectiones de Vita, & Rebus Geſtis Pauli Apoſtoli, Diſſertationum Exegeticarum Duodecas, & Commentarius in Epiſtolam Iudæ Apoſtoli. 4.

CASIMIRI OUDINI

DISSERTATIO TERTIA

DE

COLLECTANEO

SEU

COLLECTIONE

ANTIQUITATUM

CONSTANTINOPOLITANARUM

DOMINI ANSELMI BANDURII.

DE LA
COLLECTION
DES
MEMBRANES
DU FOETUS

DE COLLECTANEO SEU COLLECTIONE ANTIQUITATUM CONSTANTINOPOLITANARUM

DOMINI ANSELMI BANDURII.

PROLOGUS.

NONYMUS GRÆCUS SCRIPTOR, qui circa annum MC. floruisse sub Alexio Comneno Imperatore creditur, libros tres, Græcè, *de urbis Constantinopolitanæ situ & præstantia, itemque de Templo sanctæ Sophiæ* in urbe eadem librum quartum, in Bibliotheca Galliarum Regis Codice MS. Græco 3058. in quarto conscripsit; quo opere occasionem nactus est *Anselmus Bandurius*, Ragusinus, Monachus Ordinis D. Benedicti Congregationis Melitensis, multa convasandi ac dispersa hinc inde colligendi, quæ Historiæ Byzantinæ deesse arbitratus est, ut Collectionem sub hoc titulo Græco-Latinam Orbi litterario offerret: *Imperium Orientis, seu Antiquitates Constantinopolitanæ, in quatuor partes distributæ, cùm ex Scriptoribus jam editis, tùm ex MSS. erutæ & collectæ primùm in unum, operâ & studio Domini* ANSELMI BANDURII *Ragusini, Presbyteri & Monachi Ordinis D. Benedicti è Congregatione Melitensi, 2. vol. in folio, Græcè & Latinè. Parisiis,*

Anno 1711. *apud Joannem Baptiſtam Coignard, Regis & Academiæ Typographum.*

Mentionem hujus Operis, ſeu Collectionis, faciunt ampliſſimam Diarium Eruditorum Pariſienſe anni 1712. menſe Septembri, editionis Amſtelredamenſis in 12. à pag. 291. ad 312. item Acta Eruditorum Lipſiæ, anni 1712. menſe Martio in Novis literariis, pag. 144. breviter, ſed latiùs menſe Novembri pag. 485. ad 491. de quâ referam, additis paucis, verbotenus, quæ Eruditi Lipſienſes habent. Inter eos, qui Conſtantinopolitanæ urbis antiquitates tradere aggreſſi ſunt, primus *Petrus Gyllius* fuit, ex agro Albienſi apud Gallos natus, qui à Francisco I. Francorum Rege, Codicum Græcorum comparandorum cauſâ, illuc miſſus, pleraque ab Hiſtoricis recenſita loca coram inſpexit, & cum iiſdem contulit; deinde ex peregrinatione diutina redux, libros tres *de Boſphoro Thracico*, & libros quatuor *de Topographia Conſtantinopoleos ac de illius antiquitatibus*, accurato ſtudio ſcriptos, poſteritati reliquit, quæ eoſdem omni tempore magni fecit & in deliciis habuit.

Poſt hunc *Joannes Meurſius* Notis brevioribus *Codinum de Ædificiis* illuſtravit; quem deinde ſecutus *Petrus Lambecius*, ejuſdem *Codini* Opus de Græco Latinum fecit, & uberioribus nec ſpernendis animadverſionibus edidit. Superaſſe tamen horum in eo genere doctrinam & induſtriam creditur *Carolus Ducangius*, aliis quoque monimentis clarus, in *Conſtantinopoli Chriſtiana*, quâ ipsâ ex Scriptoribus editis pariter & ineditis incredibili labore adornatâ, à *Banduro* Byzantinæ Hiſtoriæ parens dici meruit. Neque tamen omnem materiam ita præripuiſſe Auctori noſtro viſus eſt, ut ab eo dictis non demi aliquid debeat, vel poſſet addi. Inciderat nimirum *Banduro*, cùm Regiæ Pariſienſis Bibliothecæ Codices manu exaratos evolveret,

veret, in Codicem Græcum num. 3058. 4. *Patria seu Origines urbis Constantinopolitanæ* inscriptum. Cumque animadverteret Scriptorem Operis *Codinum* annis circiter trecentis & quinquaginta, quod ex Iambis præmissis apparet, præcedere, diversa etiam methodo rem totam tractare, eundem per otium Latinum facere, ac, ubi opus esset, Commentariis illustrare incepit.

Hoc institutum adeò arrisit viris nonnullis doctis, quorum sententiam expiscabatur, ut sponte currenti ad absolvendum opus modis omnibus calcar adderent. Atque hunc quidem solum Scriptorem edere initio animo volvebat *Bandurius*; sed cùm laborem quotidie succrescere videret silvâ rerum notabilium *Coignardus*, cujus typis & sumptibus edi debebat, hic auctor eidem extitit, ut adjunctis aliis nonnullis duos in Tomos Opus distingueret, unde demum enata est hæc *Veterum Scriptorum rerum Byzantinarum Collectio*.

CAPUT PRIMUM.

De Volumine seu Tomo I. Banduriane Collectionis.

ABsolvitur autem *Tomus prior* Partibus tribus, quibus *Græcorum* quorundam sequioris ævi scripta, partim jam vulgata, partim inedita, adhuc comparent. Posterior, cujus occasionem seorsim dabimus, Commentarios in Libros antè memoratos, *Antiquitatum* nempe *Constantinopolitanarum*, & Scriptores nonnullos alios complectitur. Nos quæ in qualibet Tomi prioris Parte scripta reperire liceat, paucis subjiciemus. Opus autem istud, seu Collectaneum omne Magno Tusciæ Duci dedicatum reperitur, cui *Banduriu*s maximè devinciebatur, tum ob plurima ab

illo beneficia accepta, tum quod eum, in Gallias ob studiorum promotionem missum, sumptibus suis aluerit, ac protectione singulari dignatus sit. Tum sequitur Præfatio ad Lectorem, ampla & erudita, qua totius instituti sui rationem reddit, in qua multa etiam eruditionis reconditæ suæ argumenta non contemnenda profert. Atque ad Partis primæ frontem reperitur *Tabula Chronologica Imperatorum & Constantinopolitanorum Patriarcharum*, à Constantino Magno & Metrophane, usque ad hanc urbem à Turcis captam. Hæc Tabula ita disponitur, ut successiones utrorumque ostendat in columnis duabus lateralibus, ac tertia, quæ annos Nativitatis Christi in medio designat, eodem tempore exhibeat Historicam Synopsin rerum Historiæ Byzantinæ principalium, tam Civilium & Laicarum quam Ecclesiasticarum: atque ista ratione medeatur sterilitati, quæ ab ejusmodi Catalogis ferè inseparabilis est.

In prima autem Parte, in qua *De Divisione Imperii Romani in Themata, sive Provincias, necnon de Provinciis atque urbibus, Imperatori Constantinopolitano olim subjectis*, continetur *Constantini Porphyrogeneti* Liber unus de *Thematibus Orientis*, pag. 1. Quem jam antè Latina Versione & Notis adornatum emiserat *Bonaventura Vulcanius*, Lugduni Batavorum, apud *Franciscum Raphelengium* 1588. in 8. Et post eum cum variis lectionibus, emendationibus ac supplementis Fredericus Morellus in Operibus Constantini, ibidem ex officina Elzeviriana 1617. in 8. Cui subjungitur *alter ejusdem Constantini de Thematibus Occidentis Liber*, pag. 20. ab eodem *Morello* editus. Utrumque Bandurius Librum cum MS. Codice Regio bombycino, num. 2431. ante quingentos annos circiter scripto, collatum emendatiorem hic protulit.

Constantinum excipit *Hieroclis Grammatici Synecdemus*,

domus, sive Comes Peregrinationis, Opus de Provinciis ac ubibus; quæ Imperatori Constantinopolitano parebant; Provinciæ quidem 64. urbes 935. quem Librum *Lucas Holstenius* ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ descriptum, & ad alium Altempsianum Codicem correctum, necnon ex duobus aliis Farnesianis expletum, Latinaque interpretatione donatum, una cum Constantino *de Thematibus & de Imperio administrando*, in Corpore Historiæ Byzantinæ edere pollicitus erat. Morte tamen prævento Holstenio, cum aliis schedis *Holstenianis* delitescentem in Bibliotheca Barberina, Tomo II. *Antiquitatis Ecclesiasticæ illustratæ, in Appendice ad Opus Geographicum*, publici juris fecit *Emmanuel à Schelstrate*, Romæ 1692. typis Congregationis de propaganda fide: vel alius post ejus mortem, qui fata Schelstratii honorare voluit.

Anselmus Bandurius in Præfatione pag. 3. hunc partum suo *Hieroclì* contra Schelstratium vindicat, deceptum, ut ostendit, loco quodam Constantini ex secundo de Thematibus sumpto, quem ille Hieroclis putabat, cùm ipsius Constantini esset. Addendum est, idem Hieroclis opusculum à *Carolo de Sancto Paulo* ad calcem *Geographiæ Sacræ* editum fuisse, sed mutilum. Hoc Opus à Bandurio editum pag. 31. ad 52.

2. In secunda Parte exhibentur Tractatus nonnulli politici, in quibus forma administrandi Imperii præscribitur. Primas hic obtinet *Constantini Porphyrogeneti de administrando Imperio*, pag. 53. ubi plurimarum Gentium, Patzinacitarum, Russorum, Bulgarorum, Turcarum, Saracenorum, Dalmatarum, Chrobatorum, Slavorum, Francorum, Italorum, aliorumque origines, ingenia, vires expendit: quidve ab iis vel timendum sit vel sperandum Imperatori Constantinopolitano. Prodiit & hoc Opus Græcè & Latinè auctore *Johanne Meursio*; & cum ejusdem Notis,

apud Ludovicum Elzevirium Lugduni Batavorum 1617. 8. *Banduriis* ex Codice Regio membranaceo optimæ notæ num. 2661. innumerabiles mendas, quibus Meurſiana editio ſcatebat, in textu pariter & verſione ſuſtuliſſe, ſuppleviſſe multa, præter caput XXXIII. *de Iberia*, & XXIV. *de Hiſpania*, quæ *Meurſius*, utpote nimis corrupta, ſine interpretatione Latina dereliquerat, Latina ſe fociſſe indicat.

Sequuntur autem *Agapeti ſanctiſſimæ Dei*, ut ipſe profitetur, *magnæ Eccleſiæ, hoc eſt ſanctæ Sophiæ Diaconi*, (dubium cujus, fuerunt enim eodem nomine eodemque tempore plures) *Capitula admoniteria* LXXII. *ad Imperatorem Juſtinianum*, pag. 158. jam antè aliquoties à *Joachimo Camerario*, deinde cum Notis, ſed imperfectis, *Draudii*, aliis *Stephani Schroningi*, poſtremò *Bernardi Damkii* Hamburgenſis, Baſileæ 1633. edita; quæ Bandurius cum duobus Mſſ. Regiæ Bibliothecæ Codicibus contulit, & pluribus in locis emendavit. Quod idem præſtitit in illis, quæ *Agapeti* σχεδὴν Βασιλικὴν excipiunt, *Baſilii Macedonis Capitibus Exhortationum* LXVI. *ad Leonem filium*, pag. 171. à *Frederico Morello* primùm Græcè, poſt cum Verſione & Notis ejuſdem *Damkii*, *Baſileæ* anno 1633. vulgatis.

Agmen demum Paræneticorum claudit *Theophylacti*, *Acridæ in Bulgaria Archiepiſcopi*, *Inſtitutio Regia*, *ad Porphyrogenetum Conſtantinum*, *Michaelis Ducæ Parapinacis & Mariæ Auguſtæ filium*, pag. 193. Quam, cùm eſſet extra Corpus Hiſtoriæ Byzantinæ, in hunc locum cum interpretatione *Petri Poſſini*, aut potius paraphraſi, qui eandem ex Codice ſingulari Bibliothecæ Regiæ Medicææ anno 1651. Pariſiis in 4. vulgaverat, reponendam duxit doctiſſimus *Banduriu*s. Notat autem hic in Præfatione pag. 5. obiter errorem nonnullorum, qui *Theophylactum* ſub ſæculi noni

finem

finem floruisse scribunt, cùm sub finem undecimi vixerit: quorum error cum ex hoc scripto, tum ex ipsius Epistolis à Meursio editis, facilè refellitur.

Tandem pervenimus ad *tertiam* Collectionis hujus Partem, unde Operis hujus initium, seu *Antiquitates* dictæ *Constantinopolitanæ* pag. 1. propriè incipiunt: nam quæ præcedunt duabus Partibus prioribus, velut Præliminaria duntaxat consideranda sunt. Constat ista Pars libris VIII. *Antiquitatum Constantinopolitanarum*, quarum libri IV. priores illi sunt, qui sub titulo *Patria seu Origines urbis Constantinopolitanæ*, ex Codice MS. Regio 3058. chartaceo superius commemorato, circa *Michaelis Palæologi* tempora conscripto, & Constantinopoli advecto, pauciscque post *Ducangii* obitum annis in Bibliothecam Regiam illato, nunc primum in lucem prodeunt, p. 2. 23. 41. 65. ad 81.

Auctorem illorum sub *Alexio Comneno* vixisse, ex Iambis in fronte positis, eidemque Imperatori nuncupatis, arguitur; fuisse vero Monachum, ex Præfatione, in qua Alexium à munificentia & liberalitate in Monachos laudat, conficitur. Cæterum in eo *Codine* præferendus, quod secus ac ab hoc factum deprehenditur, urbem in tres partes distributam describat, atque adeò singulis ædificiis situm suum quem tenuere adsignat. Liber IV. describendo Sanctæ Sophiæ Templo totus occupatur; cujus descriptio, quam facit, in multis non convenit cum aliis Scriptoribus, qui de eo egerunt.

Liber V. *Breves Enarrationes Chronologicas*, pag. 81. incerti Auctoris, quas *Lambecius* ad calcem Codini fui, sub titulo, *Anonymi Collectanea de Antiquitatibus Constantinopolitanis*; & Franciscus Combefisius in *Manipulo originum rerumque Constantinopolitanarum*, sub inscriptione, *Breves Demonstrationes Chronographicæ*, Parisiis 1664. in 4. cum interpretatione Lati-

tina ac Notis promulgaverant, quæque hactenus extra Corpus Historiæ Byzantinæ exstiterant, exhibet.

Libro VI. sistitur *Narratio Nicetæ Choniatæ, de statuis Constantinopolitanis*, quas Latini capta urbe confractas in nummum conflaverant, pag. 107. qui Liber hactenus lucem non viderat, sed in Codice quodam MS. Bibliothecæ Bodlejanæ inventus, à Viro Cl. *Joanne Ernesto Grabio*, nuper magnæ litterariæ rei dispendio morte extincto, descriptus, & ad doctissimum virum *Joannem Boivinium*, Christianissimo Regi à Bibliotheca, quique eundem Tomo IV. *Gregoræ* Operum inferere promiserat, missus, huic *Banduriо* ab eodem liberaliter communicatus fuit. Subjicitur deinde opusculo huic GEORGII PACHYMERIS *Descriptio Augustæonis, sive Augustæi atrii pulcherrimi atque amplissimi Ædis Sophianæ*, pag. 114. In quo statua equestris Justiniani erat, ab eodem Boivinio in Notis ad Gregoram edita, sed Græcè tantum. Porro *Photii Patriarchæ Descriptio Ecclesiæ novæ in Palatio à Basilio Macedone extructæ*, pag. 117. quam Lambecius primum Græcè, deinde etiam Combefisius in *Manipulo originum Constantinopolis* additâ Latinâ versione produxit, quæque & ipsa in Corpore Byzantino non reperitur. Deinde *Anonymi Catalogus, & Descriptio Sepulchrorum Imperalium, quæ apud Sanctos Apostolos & alibi erant*, diversus ab eo quem edidit *Ducangius*, Græcè tantum Lib. IV. *Constantinopoleos Christianæ* pag. 109. pag. 121. & denique *Excerpta de Antiquitatibus Constantinopolitanis*, ex Codice Regio, & Codino Lambeciano decerpta.

Libro VII. pag. 135. ad 187. continentur varia Epigrammata ac Poëmata veterum æquè ac recentiorum Poëtarum, necnon variæ Inscriptiones. Primum locum tenent, quæ ex *Anthologiæ* libris III. IV. & V. de-

descripsit, & cum interpretationibus metricis Latinis *Alciati*, *Velii*, *Morelli*, *Franchini*, *Gretseri*, *Cornarii*, *Shridani*, *Pauli Stephani*, aliorumque edidit.

Liber denique VIII. Catalogos varios, de quibus adeunda est erudita Praefatio *Anselmi Banduri*, praefixa huic Tomo seu Volumini priori; istic repraesentat editos & ineditos, antiquos simul ac recentiores, Patriarcharum Constantinopolitanorum, necnon sedes Episcoporum illis subjectorum. Catalogos item duos inter se diversos Imperatorum Constantinopolitanorum, de quibus singularius differit *Diarium Eruditorum Parisiense*, quorum verba imposterum referemus. Septem porro hi recensentur. 1. Catalogus Episcoporum & Patriarcharum Constantinopolitanorum, eductus ex Nicephori Patriarchae Constantinopolitani *Chronographia*, ab impresso diversus, pag. 187.

2. Alter Catalogus eorundem Patriarcharum *Nicephori Callisti*, qui primum prodit ex MS. Codice Graeco 3502. Regiae Bibliothecae, pag. 191.

3. Catalogus tertius eorundem in *Jurisprudentia Graeco-Romana Leunclavii* Graeco-Latinè editus, pag. 201.

4. Ex Compendio Historico *Matthaei Cigalae* acceptus, qui ad annum Christi 1636. terminatur, pag. 209.

5. Catalogus horum Patriarcharum & Episcoporum eis subjectorum, à Philippo Cyprio, Protonotario Magnae Ecclesiae, conscriptus, pag. 218. & 225. ad 229. ad annum 1632. pertingens.

6. & 7. Catalogi duo Imperatorum Constantinopolitanorum, quorum primus ultra *Murtzuflum* non extenditur, vel urbem hanc Imperialem à Latinis occupatam, alter autem ad Imperium Sultani *Morati* vel *Ammuratthi*, & annum 1634. progreditur, pag. 241. & 244.

His octo libris Opera duo *Petri Gyllii* succedunt, quae

quæ tanto æquius locum sibi in Collectione ista vindicant, quod plurimum illustrandis Antiquitatibus, de quibus quæstio est, conducant. Primum pag. 258. est Descriptio *Bosphori Thracici*, in tres libros divisa, ex diversis Auctoribus collecta, præsertim *Dionysio Byzantino*, Scriptore Græco veteri nondum impresso, cujus editionem *Lucas Holstenius* promiserat. Secundum pag. 349. in quatuor libros distinctum est *Topographia* Constantinopoleos, eo magis curiosa, quod *Gyllius* nobis describat antiqua monumenta, quæ in hac magna urbe suâ adhuc ætate videbantur, & quæ à Turcis harum reliquiarum pretiosarum inimicis postea destructa sunt. Curavit *Bandurius* corrigere plures errores, qui in hujus Scriptoris textum irrepserant, ac distinguere illum à locis ab eo allatis, quos litterâ Italicâ imprimendos fategit.

Insuper adjunxit *Descriptionem Constantinopoleos*, pag. 429. quam Anonymus nobis reliquit, talem qualis sub Imperio *Arcadii* & *Honorii* extabat: cui Notas Pancirolli ad Descriptionem hanc adjecit. Atque hæc omnia Tabulis quinque Topographicis finiuntur.

Observandum præterea nobili huic accessioni Corporis Byzantini, ut scribunt *Acta Lipsiensium* anni 1712. mense Novembri, pag. 490. „ Mappas duas „ Geographicas insertas esse, quarum una Orbis Ro„ mani delineationem, per Themata sub Imperatori„ bus Constantinopolitanis post Heraclii tempora fa„ ctam, Auctore *Gulielmo Insulano*, seu *de Lisle*, è „ Regia Scientiarum Academia, juxta *Constantini* Por„ phyrogeneti mentem. Altera Imperii Orientalis & „ Regionum circumjacentium Descriptionem, sub „ Constantino Porphyrogeneto & ejus prædecessori„ bus, eodem *Insulano* auctore, ob oculos ponit. O„ ptandum interim, ut doctissimus Vir, quam pollice„ tur, Operum *Nicephori Constantinopolitani* editionem,

„ cu-

„ cujusque conspectum ante aliquot annos edidit, &
„ *Patriarcharum Constantinopolitanorum Historiam*,
„ diffusam & multis difficultatibus circumseptam tra-
„ ctationem, favente Minervâ, ad finem perducas,
„ Neque enim mediocre aliquid sperare nos sinunt,
„ indefatigabilis illius diligentia, & rerum recondita-
„ rum cognitio. Hæc Lipsienses Censores ad Volu-
men Banduriane Collectionis, in *Actis* anni 1712.
mense Novembri, à pag. 485. ad 491.

CAPUT SECUNDUM.

De Secundo Volumine seu Tomo Collectionis Banduriane.

REstat nunc ut de secundo Volumine Banduriane Collectionis rationem reddamus, quod totius Operis Partem quartam facit, & libros VIII. *Commentariorum Anselmi Bandurii in Antiquitates Constantinopolitanas* complectitur, *Notas ejusdem in Constantini Porphyrogeneti Tractatus duos*, *Notas breviores in Opuscula Agapeti*, *Basilii* & *Theophylacti*, septem Mappas Topographicas & Tabulas plures de variis argumentis concinnè sculptas, de quibus Diarium Eruditorum Parisiense, quod heic ex Gallico Latinum reddimus.

His *Bandurii* Commentariis præmittuntur Mappæ septem Topographicæ, quatuor Constantinopoleos urbis, ac tres Propontidis & Bosphori Thracici. In prima habetur prospectus Constantinopoleos in quatuordecim regiones distinctæ, qualis sub *Arcadio* & *Honorio* Imperatoribus extabat. Accepta est ex illa, quam *Ducangius* expressit juxta mentem *Anonymi* Honorio synchroni, & ex altera *Gyllii*, sed exceptis non-

nonnullis recentioribus, acceptis à Domino *de Combes*, in Mappa quæ conservatur in *Archivis marinis*.

Secunda Mappa urbem hanc Imperialem objicit juxta *Anonymi* nostri descriptionem, hoc est, qualis sub *Alexii Comneni* Imperio extabat. *Tertia*, ex MS. Codice Regiæ Bibliothecæ accepta, exhibet nobis Constantinopolim sub Joanne Palæologo Imperatore penultimo. Tandem in *quarta* Mappa, post Grelotium expressa, Constantinopolis apparet nobis, qualis nunc temporis cernitur. Quoad tres Bosphori Thracici Mappas, acceptæ illæ sunt ex recentioribus, *Gyllio*, *Grelot* & *de Combes*, Scriptoribus.

Primus Liber Domini *Anselmi Banduri* placere plurimum omnibus debet, ob magnum Tabularum numerum, quibus ornatus discescit. Ac primum quidem occurrunt *septem*, in quibus exhibentur LXXVIII. numismata Byzantina, quorum priora à tempore quo Byzantium adhuc Respublica erat, alia autem sub Imperio Romano, excusa fuisse dicuntur. Omnia illa, duobus exceptis, ex Cimelio Regio Numismatum & ex altero Domini FUCALDI prodierunt. Potuisset *Bandurius* collectionem illorum numerosiorem exhibere, si quidquid hoc in genere publicum factum est, adoptare voluisset; at sibi ipsi tantum inspectori certius esse meritò arbitratus est, solaque illic nobis exhibet, quæ propriis oculis vidit. Tabula octava duo Diptycha, seu Tabulas Consulares, repræsentat, quæ olim jam in Tomo 3. Benedictinorum Annalium à Domino *Joanne Mabillione* conscriptorum exhibitæ sunt.

Sed quod hujus secundi Voluminis, ac primi Libri *Antiquitatum Constantinopolitanarum* principale ornamentum facit, Tabulæ sunt novemdecim, quæ sub oculis ponunt nostris *Columnam historiatam Constantinopoleos*, & omnia Prostypa, quibus induitur & ornatur.

tur. Hæc non est ea Columna, quam *Theodosius* Magnus in platea, quæ *Forum Tauri* dicitur, erigendam curavit, quamque *Bajazetes* ad constructionem Balneorum destruendam præcepit. Sed altera est, quam erigendam *Arcadius* voluit in platea ejusdem nominis, & in qua repræsentari voluit victorias patris sui; atque ædificia splendidiora ab utroque Imperatore facta. Hæc ultima Columna hodie adhuc Constantinopoli conspicitur, quam *Gyllius* nobis cum dimensionibus omnibus descripsit; & quæ perperam accipitur pro Columna *Theodosii*, quæ amplius non subsistit. Has *Franciscus Menestrier* ante annos octo incidere æri curaverat, quas explicationibus amplissimis adjunxerat. Sed cum Antiquarii primam hanc expressionem æri factam minime gratam habuerint, quæ parum illis exacta visa fuit, atque aliunde inter antiqua Constantinopoleos monumenta Columnæ istæ primum obtineat locum, *Anselmus Banduriis* illam de novo incidendam æri voluit, post ipsius *Gentilis Bellini* delineationes, quæ Parisiis in Academia Regali Picturarum pretiosè conservantur: atque idem Banduriis explicationem brevem eorum quæ continentur, Tabulæ cuilibet, ad Lectorum satisfactionem, adjunxit, pag. 449.

Secundus Liber pag. 597. Commentariorum Domini *Anselmi Banduriis*, in quo videas Scriptores ἀνεκδότους, quos vel misericordia vel saltem Banduriis commemoravit: ut pag. 613, tres Epistolas Græcas Athanasii Patriarchæ CP. quæ una cum aliis ejusdem Litteris Opusculisque, ex Codice Regio olim Telleriano, se descripsisse profitetur. Item Opusculum Græcum, quod nondum in lucem publicam emerserat, acceptum ex MS. Codice Bibliothecæ Sancti Germani Parisiensis: nempe *Historia Translationis corporis Sancti Stephani*, ab Anonymo ante tempora Simeonis Metaphrastis scripta, pag. 647.

Ter-

Tertius Liber horum Bandurii Commentariorum pag. 662. exhibet ruinas Circi seu Hippodromi Constantinopolitani, quales illas *Onuphrius Panvinius* nobis post antiquam Topographiam hujus regiæ urbis repræsentat. Item Dominus Bandurius in hoc eodem Libro Opellas duas, seu Opuscula curiosa, quæ nondum lucem publicam viderant, exhibet, quæ Græcè profert cum versione Latina, à se concinnatâ. *Primum* Tractatulus *de Hippodromo*, quem illi dat MS. Codex 3502. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, pag. 662. *Secundum* desumptum ex MS. Codice Bibliothecæ Sancti Germani de Pratis, est *Vita Sancti Dalmatii*, qui nomen suum dedit Monasterio Constantinopolitano celebri: atque Descriptio hujus Monasterii occasionem dedit huic Opusculo illic collocando, pag. 697.

Quartus Liber complectitur descriptionem *Templi sanctæ Sophiæ* celeberrimi, hanc Gallicè à *Grelotio* factam, quam Tabulæ quinque, quas æri incidendas procuravit, ibidem comitantur, quæ principales magnificæ hujus Basilicæ partes exhibent, & Libri ferè quarti mediam partem occupant.

Inviti, ob rationem compendii, *Libros* v. vi. & vii. Domini *Anselmi Bandurii* prætermittimus, qui ob eruditionem selectam quia replentur, ut & alia, Eruditorum curiositatem & attentionem merentur. Uno duntaxat verbo de Libro ultimo loquemur, ubi Scriptor singularis in Historiam Patriarcharum Constantinopolitanorum extenditur, & ubi argumenta reperiuntur studii intensi, quo claruit, eorum omnium, quæ ad Antiquitatem Profanam & Ecclesiasticam spectant: sed ejus etiam exactitudo & judicium in Chronologia & temporum adaptatione demonstrantur, pag. 744.

Octavus Liber pag. 873. plura Opuscula curiosa concludit. Horum primum *Notitia singularis* omnium

O-

Opuſculorum quæ continentur in Codice 3502. MS. Bibliothecæ Regiæ chartaceo prorſus attrito atque lectu difficillimo, unde Auctor *Catalogum Patriarcharum Conſtantinopolitanorum* à *Nicephoro Calliſto* compoſitum habuit: quam Notitiam *Joanni Boivinio* debemus, p. 875.

Præterea Dominus *Bandurius* Græcè nobis exhibet, ex pluribus Regiæ Bibliothecæ Codicibus Mſſ. Opuſcula Gregorii Cyprii & Athanaſii Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, pag. 942. Tandem ad hujus Libri octavi finem reperitur Græcè ſcripta *Hiſtoria Patriarcharum hujus urbis*, à paucis diebus Conſtantinopoli ad *Euſebium Renaudot* miſſa, qui Latinam illam fecit, atque Notis quibuſdam illuſtravit, quam ſuæ Collectioni *Banduriis* inſerendam voluit.

Omnes hi Commentarii terminantur Tabulis ſex Topographicis, in quibus Grelotius auguſtiora monumenta Turcica, quæ Conſtantinopolim hodiernam illuſtrant, delineanda curavit.

Reſtaret nobis adhuc agendum de Notis, quas Dominus *Anſelmus Banduriis* ſcripſit in *Conſtantinum Porphyrogenitum*: ſed ut expoſitio earum prolixa nimium eſſet, ſatis erit admonere, 1°. Has Notas præcedi Tabulis duabus Geographicis Imperii Orientis, ſcriptis à Domino *Guillielmo de l'Iſle*, ſive *Inſulano*, Academiæ Regiæ Scientiarum Socio: atque adaptatis, alterâ Tractatui Porphyrogeniti *de Imperii Provinciis*, alterâ Tractatui ſecundo Imperatoris ejuſdem *de Provinciarum regimine*.

2°. *Banduriis* eundem edere primùm Excerptum quoddam Græcum, acceptum ex Bibliotheca Colbertina, quod *Hiſtoriam converſionis Ruſſorum ad Chriſtianiſmum* continet.

3°. Alphabeta plura *Sclavonica* æri incidenda procuraſſe, denique Hiſtoricas plures circumſtantias quo-

ad *Dalmatiam* ac Rempublicam Ragusinam explicate, quæ Benedictini nostri eruditi, *Anselmi Banduri*, natale solum est. Hæc ex *Diario* Eruditorum Parisiensi. *Acta* quoque *Eruditorum Lipsiæ* mentionem faciunt Voluminis II. hujus *Bandurianæ* Collectionis, ad Annum 1713. mense Februario, à pag. 49. ad 54. quorum verba hîc repetere vanum prorsus esset.

Hæc autem omnia à *Bandario*, post finem Voluminis secundo impositum *numeris novis*, addita sunt, instar Appendicis ad Volumen secundum; ita timuit ne Collectioni seu Collectaneo suo aliquid deesset, quod nonnulli nimiæ farraginis arguunt.

Historia autem *Patriarcharum hujus urbis recentium*, Græcè scripta, & à paucis diebus missa Constantinopoli ad *Eusebium Renaudot*, qui Latinam illam fecit atque Notis quibusdam illustravit, quam suæ Collectioni *Bandurius* inserendam voluit, juxta *Diarii* Parisiensis finem, collocatur Tomo seu Volumine 2. ad calcem Libri octavi, eò quòd illa seriùs advenisset, quàm ut collocari posset post Catalogos quinque Patriarcharum Constantinopolitanorum, qui Volumine 1. parte 3. continentur à pag. 187. ad 225. At juxta Acta Eruditorum Lipsiæ Anni 1712. mense Novembri pag. 490. collocatur Volumine 1. dicta Historia post Catalogum quintum Archiepiscoporum Constantinopolitanorum, ob quam Catalogos octo enumerant, de qua hi loquuntur.

„Liber denique octo Catalogos varios, editos ac ine-
„ditos, antiquos & recentiores, Patriarcharum Constan-
„tinopolitanorum; necnon sedes Episcoporum iisdem
„subjectorum, Catalogos item duos inter se diversos Im-
„peratorum Constantinopolitanorum recenset. Inter il-
„los cumprimis memoratione dignus, quem obtulit Au-
„ctori nostro *Eusebius Renaudot*, non multò antè ad se
„Constantinopoli missum, qui quidem ex Codice Eccle-
„siæ

„ſiæ PC. Patriarchalis deſcriptus, ſeriem Patriarcha-„rum illius Eccleſiæ ab Anno Chriſti 1594. ad 1702. „exhibet, ex quo ſanè plures errores recentiorum „Scriptorum, dum ſæpe plures Patriarchas ejuſdem „nominis pro uno accipiunt, vel ex uno plures con-„fingunt, detegi poſſunt. De Catalogis reliquis ad-„eunda eſt Præfatio Auctoris pererudita, huic priori „Tomo præfixa.

Præterea Catalogus *tertius*, qui pag. 201. collocatur, annis centum antiquior eſt Catalogo ſecundo *Nicephori Calliſti*, qui pag. 191. habetur, ac poſt Annum 1330. vel 1340. conſcriptus creditur. Catalogus autem eorundem in *Juriſprudentia Græco-Romana* Joannis Leunclavii circa A. Domini Chriſti 1220. compoſitus legitur.

CAPUT TERTIUM.

Quiſnam ſit horum quatuor Librorum Græcorum *Scriptor, quos* Anselmus Bandurius *anonymos evulgavit.*

UBi in manus meas venit *Collectaneum* ſeu *Collectio Anſelmi Bandurii de Imperio Orientis ſeu Antiquitatibus Conſtantinopolitanis*, ſtatim dubitatione omni remotâ, agnovi Auctorem *Librorum quatuor anonymum de urbe Conſtantinopolitana & Eccleſia ſanctæ Sophiæ*, eſſe *Michaelem Pſellum* inſignem illum ſæculi XI. Scriptorem & ornamentum, Philoſophorum Principem, Medicum celebrem, Theologum ſpectatiſſimum, *Michaelis Ducæ* Præceptorem, atque ad Imperium Orientis aſſequendum promotorem: illum enim Græci πολυγραφώτατον per antonomaſiam vocant, nec inferiorem in Hiſtoriis conſcribendis ac colligendis, quàm in aliis Scientiis ac Diſciplinis.

Hanc me veritatem docuit, etiam non attendens, *Bandurius*, dum depinxit mihi *Anonymum* ſuum, ex tribus illi unicè convenientibus, ex patria, ex profeſſione Monaſtica, atque dedicatione Operis ad *Alexium Comnenum*, ſub cujus Imperio per annos XXV. & amplius, poſt tonſionem ſuam, clarus emicuit. Noveram id ex Diſſertatione ſingulari, quam, multis jam ab annis, *De vita, ſtudiis, ſcriptis tam editis quàm manuſcriptis adhuc in Bibliothecis latitantibus Michaelis Pſelli, Michaelis Ducæ Imperatoris Præceptoris* conſcripſeram, *in Commentario meo de Scriptoribus Eccleſiaſticis* inſertam; ubi de ſtudiis illius ac Mſſ. Codicibus Græcis ad Hiſtoriam Conſtantinopolitanam ſpectantibus diffusè ſatis tractaveram, ad *Leonis Allatii* Supplementum, qui parcè admodum, vel prorſus de iſtis ſilet.

Ac ne gratis id in *Allatii* contemptum ac damnum famæ dicere videamur, damus verba illius omnia, in Diatriba *de Michaelis Pſelli ſcriptis ineditis, ſect.* 58. „*Meurſius Hiſtoriarum opus* Pſellum ſcripſiſſe autumat, „illumque laudari à Zonara Tomo 3. in Iſaacio Co„mneno, & in Romano Diogene: item à Theodoro „Metochita *Hiſtoriæ Sacræ* lib. 2. Cedreno, Joanne „Curopalata in Hiſtoriæ ſuæ initio, à *Michaele Glyca* „in Annalibus ſemel & iterum. Erat etiam in Cata„logo exhibito à Grammatico, apud *Antonium Ver„derium* in Supplemento. Quibus paucis multa loquitur *Leo Allatius*, licèt nullum Opus MS. Hiſtoricum Græcum Pſelli in Bibliothecis, quas multas ſcrutatus eſt, ſe vidiſſe teſtetur. Hæſitantem fuiſſe de hac Michaelis Pſelli Hiſtoria Conſtantinopolitana Leonem Allatium, qui manuſcriptam illam nunquam viderat, ex verbis, quibus utitur, conſtat: dum Meurſii teſtimonium de illâ allatum *autumationem* ſeu *conjecturam* appellat. At ex allegatione tot teſtium, ex qui-

quibus fuerant tres Pſello ſynchroni, res extra dubium relinquitur.

Jam videamus non opinationem quandam, ſed demonſtrationem certam & evidentem, ex conditionibus ipſis, quibus Anonymum ſuum *Bandurius* depingit: quas fuiſſe tres, illaſque omnes uni Michaeli Pſello atque ſoli convenientes, diſertè oſtendo, ut dubitationi locus ea de re nullus relictus fuerit. Prima ex his conditionibus *Anonymum Scriptorem Conſtantinopolitanum* ortu fuiſſe, ut habent Diarium Eruditorum Pariſienſe, de quo ſuprà, & *Acta* Eruditorum Lipſiæ Anni 1712. menſe Novemb. pag. 486. unde Conſtantinopolim quam deſcribit patriam ſuam appellat.

„Inciderat nimirum *Bandurius*, cùm Regiæ Pari„ſienſis Bibliothecæ Codices evolveret, in Codicem „Græcum num. 3058. in 4. inſcriptum, *Patria ſeu* „*Origines urbis Conſtantinopolitanæ*: cumque Scripto„rem Operis animadverteret Codinum annis circiter „trecentis & quinquaginta, quod ex Iambis præmiſ„ſis apparet, præcedere, diversâ etiam methodo rem „totam tractare, eundem per otium Latinum facere, „ac, ubi opus eſſet, Commentariis illuſtrare incepit. Hæc autem conditio maximè Michaeli Pſello convenit, de quo ita *Leo Allatius*, in Diatriba *de Pſellis & eorum ſcriptis* ſect. 22. „Tertius fuit *Michael Pſel*„*lus*, Michaelis Ducæ Imp. Præceptor, qui maximè „omnium de Republica literaria meritus, honorifi„cam ſui apud poſteros memoriam conſecravit, &c. „Fuit patriâ Conſtantinopolitanus, è Conſulum ac „Patriciorum proſapia, quamvis non tam felici for„tunâ. Ipſe id ait de ſe in Epitaphio matris: Τῷ τοίνυν ἐμῷ πατρὶ, τὸ μὲν ἄνωθεν γένος εἰς τοὺς Γαβρᾶς ἀνῆκτο καὶ Πατρικίους· τὰ δὲ κατ' ἐκεῖνον πράγματα οὐχ οὕτω λαμπρῶς εἶχεν. *Patris igitur mei genus an-*

„ *tiquum ad Consules & Patricios referebatur, res verò* „ *ipsius non nimis prosperè se habebant.*

Quoad autem alias duas conditiones Anonymi, nempe fuisse Monasticam vitam professum, atque vixisse sub Alexii Comneni Imperio, habent ex *Banduriâ* ipso Acta Eruditorum Lipsiæ antea prolata pag. 489. his verbis: „ Pars tertia ex Libris VIII. Antiquitatum „ Constantinopolitanarum conficitur, ad quos totidem „ Tomo II. Commentariorum Libri extant. Quatuor „ Libri priores sunt illi qui sub titulo *Patria*, &c. ex „ Codice Regio chartaceo superiùs commemorato, ac „ circa Michaelis Palæologi tempora conscripto, & „ Constantinopoli advecto, paucisque post Ducangii „ obitum annis in Bibliothecam Regiam illato, nunc „ primùm in lucem prodeunt. Auctorem illorum sub „ Alexio Comneno vixisse, ex Iambis in fronte posi- „ tis, eidemque Imperatori factis, arguitur. Mona- „ chum verò fuisse, ex Præfatione, in qua Alexium à „ munificentia & liberalitate in Monachos laudat, „ conficitur. Cæterùm in eo Codino præferendus, „ quod sœpe ac ab hoc factum deprehenditur, ur- „ bem in tres partes distributam describat, atque adeo „ singulis ædificiis situm suum, quem tenuere, ad- „ signet.

Utrumque autem diserte probatur à nobis, ad Annum 1060. in Dissertatione prolixa *De vita & scriptis tam editis quàm manuscriptis Michaelis Pselli* cap. 6. ubi de Imperatoribus octo, sub quorum Imperiis vixit, diffusè agimus. Idem quoque Allatius in Diatriba *De Psellis & eorum scriptis* sectione 22. dum Psellum refert inter illustres viros qui sub *Alexii* Imperio floruerunt ex Anna Comnena lib. V. *Alexiados*, ubi de ejus cum *Joanne Italo* dissidiis latè loquitur. Nec enim ista sub Alexii Imperio Anna Comnena narrasset, nisi adhuc in vivis Psellus, Monachus licèt, extitisset. Con-

Convenit quoque ibidem Allatius sectione 78. Michaelem Psellum floruisse sub Alexii Comneni Imperio, idque per plurimos post tonsionem capitis annos; xxv. nimirum & ultrà; si verum est id, quod *Jacobus Pontanus* Soc. Jesu scribit, Michaelem Psellum egisse Præfationem & Notas breves in Dioptram fidei Philippi Solitarii, quæ Anno Christi 1105. conscripta & perfecta dicitur. Et quamvis Allatius hoc argumentum non usquequaque approbet, non negat tamen, quin dudum Monachus jam factus, sub hujus Alexii Imperio claruerit ac superstes fuerit.

Constat igitur Scriptorem hunc Anonymum à *Banduro* editum, esse Michaelem Psellum, cui atque soli conditiones ipsi omnes assignatæ, unde detegi possit, absque dubio competunt. Anna Comnena, ubi de viris qui sub Imperio Alexii Comneni floruerant, *Alexiados* lib. v. pag. 144. Regiæ editionis 1651. pag. citata, narrat quomodo Joannes Italus sub Michaele Psello studiis operam dederit: „Deinde etiam Mi„chaeli Psello dedit operam, illi latè inclyto homini, „non tam curâ Magistrorum sapientum, quorum limina „non multum triverat, quàm indolis præstantiâ & felicitate mentis divinitus adjutæ. Id videlicet impe„trantibus matris ejus ardentissimis, per crebras vigi„lias continuatis, precibus, in templo Cyri ad sanctam „imaginem Dei Matris, haud sine ferventibus lachry„mis effundi solitis. In eminentissimum sapientiæ & „eruditionis omnis apicem erecto, quippe qui ad „Græcorum literas atque artes omnes, quas por„fectè norat, etiam Chaldæorum disciplinas adjun„xerat, famamque meruerat Doctissimi omnium, qui „tunc essent.

Tum narratis latè Joannis Itali cum Psello jurgiis, id quod sub Imperio *Michaelis Ducæ* contigit, quamvis Anna Comnena sub Alexio parente referat, nar-

rat pag. 145. quomodo Italus homo levis, postquam Romam aufugisset, Constantinopolim revocatus sit; quo revertente Michael Psellus abjecto sæculo detonsus sit, atque ita Magistralem honoris Cathedram adversario suo reliquerit.

„Quid multa? jussu Augusti (Italus) revocatur Con„stantinopolim, eique illic ad diversandum attribuitur „Monasterium *Pege*, sive fons, dictum, cum Eccle„sia Sanctorum Quadraginta; ubi Psello tandem post „tonsionem Byzantio egresso, principi Philosophiæ „Cathedræ Magister impositus idem est, summusque „Philosophorum declaratus.

Hæc autem omnia contigerunt sub Imperio Michaelis Ducæ Augusti & fratrum ejus, qui literarum & eruditarum artium studiosissimi omnes cum essent, discordias inter Eruditos excitare atque alere gestiebant, ut ex pag. 145. notum sit.

Neque hoc Opere historico tantùm posteris innotuit *Michael Psellus*, sed aliis multis ad res Constantinopolitanas spectantibus, quorum notitiam non habuisse videtur Leo Allatius, neque multi etiam viri eruditi. Neque enim de illis silvisset dictus Allatius, in Diatriba illa prolixa *De Psellis & eorum scriptis*, quam occasione hujus Psselli composuisse solùm videtur. Quod dicimus, constat ex Catalogo Manuscriptorum Codicum Græcorum Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quem ætate nostrâ, dum Parisiis manentes eramus, viri duo clarissimi *Carolus du Fresne* Dominus *du Cange* & *Joannes Baptista Cotelerius* operâ conjunctâ multis curis conscripserunt, confusione ablatâ, quæ in Catalogis anterioribus occurrebat, ut ex lectione *Novæ Bibliothecæ Mss. Codicum Græcorum, Latinorum & Gallicorum Philippi Labbei* agnosci potest, quæ Parisiis Anno 1653. in 4. edita prodiit. Idem porro Cl. *Ducangius*, seu *Dufrenius*, ad

fi-

finem Glossarii sui mediæ & infimæ Græcitatis verbo *Michael Psellus* columnâ 29. Catalogi Scriptorum ineditorum, ex quibus Glossarium dictum contexuit, Opera plurima atque in iis Historica Pselli recenset, quibus constat illum multa contulisse ad Historiam Constantinopolitanam ex Mss. Codicibus Regiis, quorum sequens præstantissimus est.

„Michaelis Pselli Philosophorum Hypertimi diver„sa, nempe Chronographia à Basilio & Constantino „Porphyrogenitis fratribus, usque ad Michaelem Du„cam per annos centum vel circiter, ab Anno 975. ad „1078. vel circiter, ex Codice Regio 1837.

„Ejusdem Epistolæ ex eodem Codice.

„Monodia de casu Ædis Sophianæ ex eodem Co„dice.

„Monodia in Joannem Patricium ex eodem. Cod.

„Περὶ καινῶν δογμάτων καὶ ὅρων τῶν νομικῶν, Ῥω„μαϊστὶ λεγομένων λεξέων, ex eod. Cod. Synopsis διὰ στί„χων πολιτικῶν περὶ πασῶν ἐπιστημῶν &c. ex eodem Co„dice præstantissimo. De Grammatica versibus poli„ticis ad Constantinum Monomachum, ex variis Co„dicibus. Epistola ad Xiphilinum Patriarcham Con„stantinopolitanum, ex Codice Regio.

„De Agricultura seu περὶ γεωργικῶν, ex Codice Regio 3502.

„Opus ineditum, ποίημα ἰατρικὸν ἄριστον, δι' ἰάμβων, „ex Codice Regio 3502.

„De Kalendis, Nonis & Idibus, ad Isaacium Co„mnenum Imperatorem, ex Codice Regio 2809.

Hæc quæ à me dicta sunt de Historia Constantinopolitana à Psello nostro conscripta, somnia non sunt, sed verissima, quibus alludit Leo Allatius, antea productus, in Diatriba *De Psellis & eorum scriptis*, sectione 58. ut dubitare nefas sit, post tot testium depositionem veterum, licèt de ea Allatius siluerit, quip-

pe quam nullibi extantem audiverat. Idemque dicendum de aliis ad Historiam eandem spectantibus, quæ in Codice Regio eodem continentur.

Præterea, si *Bandurius* hujus manuscripti Codicis Græci 1837. Regiæ Galliarum Bibliothecæ præstantissimi notitiam habuisset, potuisset ille ornare Collectaneum suum Opusculo, nondum edito, Michaelis Pselli, quod inscribitur, *Monodia de casu Ædis Sophianæ*; qua non mediocriter Volumine 2. seu Tomo, Librum IV. Commentariorum suorum *De Æde Sanctæ Sophiæ Constantinopolitanæ* illustrasset, atque ex ea docuisset posteros, quomodo insignis hæc Ecclesia regiæ urbis, sive ex terræ motu, sive ex alia causa, temporibus Alexii Comneni, cui Libros illos quatuor dedicavit, ruinam, seu casum, perpessa fuisset. Imò etiam ex collatione unius Opusculi cum altero, cognoscere verum Auctorem Librorum quatuor, quos adespotas produxit in lucem.

Denique, verum mihi esse non videtur, quod scribitur in Diario Eruditorum Parisiensi A. 1712. mense Septembri pag. 293. Actisque Eruditorum Lipsiæ A. 1712. mense Novembri pag. 489. in Collectione Banduriana parte 3. pag. 1. *Origines illas Constantinopolitanas nunc primum in lucem prodire, ex Codice MS. Græco Regio* 3058. *chartaceo, circa Michaelis Palæologi tempora conscripto & Constantinopoli advecto, paucisque post Ducangii obitum annis, in Bibliothecam Regiam illato.* Nam in Catalogo MS. Codicum Græcorum, dum ipsi Parisiis eramus, à Carolo Dufrenio & Baptista Cotelerio Anno 1686. confecto, numerus Mss. Codicum Græcorum Regiæ Galliarum Bibliothecæ longè ultra 3058. procedebat, ut constare potest ex illis quos tum *Dufrenius* ad finem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis*, tum *Cotelerius* in Opusculis Græcis Analectis allegat. Mortuus autem Anno 1688. ac

pau-

paulò post, uterque, cujus etiam Cotelerii funebribus officiis, apud S. Germanum de Pratis, invitati adfuimus.

Denique *Libros istos quatuor anonymos* pertinere ad *Michaelem Psellum*, constat ex Præfatione ad Alexium Comnenum factâ. Cum enim sub octo Constantinopolitanis Imperatoribus, sibi succedentibus, Michael Psellus ab anno ætatis 30. vel circiter, vitam longævam agens, ad annos circiter nonaginta floruerit; nullus illorum, sub quibus modico etiam tempore claruit, cui πολυγραφώτατος Philosophus, Theologus & Historicus Psellus, non Opusculum aliquod suum dedicaverit, uti antea probavimus ad Annum 1060. in Dissertatione *De vita & scriptis tam editis quàm manuscriptis Michaelis Pselli*, cap. 6. Illic enim de Opusculis Michaelis Pselli dedicatis Constantino Monomacho, Michaeli Ducæ Parapinacio, cujus Præceptor fuerat, Nicephoro Botoniatæ: atque etiam ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ Græco 2809. *De Kalendis, Nonis & Idibus ad Isaacium Comnenum Imperatorem*, quem biennio tantùm annis 1059. & 1060. imperasse constat. Igitur à potiori hos quatuor libros Michael Psellus jam consus ac Monachus factus, qui per annos XXV. & amplius sub Imperio Alexii Comneni, cucullatus licèt, in otio ac maximâ existimatione fuit, huic Imperatori, Literatos amanti, obtulisse censendus est. Unde nihil mirum quod Anna Comnena, *Alexii* hujus erudita filia, in *Alexiade* lib. V. pagg. 144. & 145. editionis Regiæ, hunc *Psellum* nostrum, ob eruditionem quandam infusam divinitus, atque pietatem, tantis adornet laudibus, utpote quem ipsa à crepundiis cognoverat. Quo testimonio luculentius dici nihil potest. Atque hæc sufficiant de Scriptore *Librorum quatuor Græcorum anonymorum*, quos Anselmus Banduriis Orbi literario obtulit.

CAPUT QUARTUM.

Michaelis Pſelli caſus, ob ſtudium Hiſtoriæ ac aliarum Diſciplinarum, Michaeli Ducæ Imperatori impreſſum.

OCcaſionem porro ejiciendi ab Imperio Orientali, Michaelis Ducæ, à militibus Græcis & Primatibus, triplicem captatam fuiſſe, arbitror & lego. *Primam* ob infelicitatem aliquam in expeditione ſuſcepta ſub ultimum Imperii annum, & *alteram* ob tyrannidem in Romanum Diogenem illius præceſſorem, cui contra fidem datam eruuntur oculi, nam juxta Zonaram in *Romano Diogene* pag. mihi 226. „Ea verò „quæ hic vir perpeſſus eſt, juſſu Cæſaris, acta eſſe „omnia feruntur Michaele Imperatore ignavo, qui „quidem molli eſſet ac ſocordi ingenio, atque adeo „ad Imperium ineptus, ut ne leviſſima quidem negotia adminiſtrare poſſet. Itaque patruus Cæſaris, ejus „ſimplicitate abutens, ex privato odio, illa omnia in „Diogenem perpetravit. *Tertiam, quòd incumberet magis Carminibus politicis conſcribendis & Hiſtoriæ majorem navaret operam*, quàm negotiis aliis promovendis, juxta eundem Zonaram, ut in *Michaele Duca filio* pagina 227. his verbis teſtatur. „Nam Imperator puerilibus rebus occupatus, à Principe Phi„loſophorum & honoratiſſimo Michaele Pſello ad litterarum ſtudia deduci videbatur, ac modo in arte „Grammatica, verſibus & Linguarum differentiis eru„diebatur, modo Rhetoricis declamationibus, modo „Hiſtoriis aſſuefiebat, modo ad audienda Philoſophi„ca præcepta parabatur, quamvis ad hæc omnia ine„ptus. Hujuſmodi igitur ſtudiis Romanorum Impe„rator affixus, rerum adminiſtrationem alteri, eique

„uni

„uni commisit: ut legis auctoritatem haberet, quod „Logothetæ visum esset. Proinde Respublica malè „habebat, Orientales vero provinciæ gravius quàm „priùs vexabantur. Nam Sultanus cum didicisset, „quemadmodum cum Diogene actum esset, eum„que à suis crudelissimè interfectum, quem ipse „captivum ad suum imperium honorifice remisisset, „& pacis conditiones cum illo initæ manere irritas: „magno dolore affectus, suas copias contra Romano„rum provincias concitavit, quas non tam prædabun„di invadebant, sed ut subacturi & possessuri, cum „nemo esset, qui obsisteret. Atque ultima ex his accusationibus in Michaelem Psellum Michaelis Ducæ Præceptorem refundebatur, qui Imperatoris junioris indolem ad istas disciplinas induxerat.

Cum itaque res Michaelis Ducæ in Imperio Anno 1078. pessime se haberent, atque etiam Joannis Itali viri turbulentissimi consiliis uteretur, in tantum ut Philosophorum Constantinopolis Patriarchatus Princeps in contemtum Michaelis Pselli declararetur, assignato ipsi ad ædes Monasterio Sanctorum 40. Coronatorum. Hinc pertæsus rerum humanarum inconstantiæ Michael Psellus, Historiæ suæ seu Chronologiæ Constantinopolitanæ ad Annum 1078. finem fecit, ut narrat Carolus du Fresne Dominus du Cange ex MS. Codice Regio 1837. quem dubio procul vidit ac tenuisse debuit, de quo ad finem Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis in Catalogo Mss. Codicum anecdotorum col. 27. Unde post Psellum eodem tempore Ducas Imperator, solium Imperii deserere compulsus, velut aptior officiis Ecclesiasticis & Monasticis quàm Imperialibus, factus antea Monachus, Archiepiscopalem dignitatem Ephesinæ Ecclesiæ obivit, ut testatur Joannes Scylitzes Curopalates ejusdem temporis, in *Historia Byzantina* editionis Regiæ Græco-Latinæ Parisiensis Anno 1647. pag. 864.

&

& Anna Comnena *Alexiados* pag. 9. & 28. editionis Regiæ Græco-Latinæ Parisiensis. Ex quibus concluditur, Michaelem Psellum Michaelis Ducæ Præceptorem, fuisse semper, tum Historiæ Byzantinæ seu Græcæ conscribendæ ac edendæ propensum, tum carminibus Politicis efformandis, quæ Discipulo occasionem Imperii abjiciendi obtulerunt. Non mirum itaque quod Michael Ducas Imperator, qui à Psello informatore ad carmina Politica conscribenda, & Historiam amplectendam atque addiscendam inductus fuerat, Præceptorem quoque suum, post Imperii desertionem, in schemate Monastico susceptо imitatus sit, quo Græcorum more ad dignitatem Ephesi Archiepiscopalem pervenerit.

Michaelem porro Ducam perversis fuisse moribus, Zonaras testatur, quem administrando Imperio fuisse tantum imparem mihique judicio debilem, qui tam facile à summo Imperii fastigio ad schema Monasticum descenderit, ex ingenii pusillitate magis, quàm ex affectu voluntatis. Addimus occasionem Michaelis Ducæ ab Imperio dejiciendi potissimam fuisse, copias Imperii à Turcis fugatas & victas sub ultimum regiminis annum; qua de Græcorum clade accepta idem Zonaras in *Michaele Duca* ibidem pag. mihi 227. Omnia ista narrat oculatus testis Joannes Scylitzes Curopalates editionis Græco-Latinæ Regiæ Parisiensis, 1647. in folio, post Cedrenum coll. 861. 862. littera A. his verbis: „Michaelem Imperatorem ex „Ordinum jussu capiunt, qui ad Palatia in Blacher„nis cum Augusta Maria ex Alanis, suoque filio „Constantino Porphyrogenito fugerat, & ad Mona„sticam vitam traducunt ad Studii Monasterium, cum „vili jumento transmissum, dum annos 6. imperasset, „eodem Sabbato quo à fidelibus miraculum Lazari „celebratur, & constituunt Præfectos, qui continenti „im-

„imperent, quin etiam Drungarium classis creant. I-„dem Curopalates ibidem pag. 864. littera D. Mi-„chael autem detonsis capillis sententia Patriarchæ & „Metropolitanorum Ephesi Archiepiscopus deligitur, „semel tamen ad ipsam urbem accessit, & reversus in „Manuelis Monasterium, ibi mansit, suis manibus la-„borans. Egregie verò cultus est ab Alexio Comne-„no, qui postmodum imperavit, sub cujus Imperio „diem suum obiit: suam uxorem Mariam, post Bo-„toniatæ abdicationem Monacham factam, venia eo-„rum quæ in se admiserat, *in ipsa morte dignatus. Ita studium Carminum Politicorum & Historiæ*, atque aliarum disciplinarum, quo Michael Psellus Philosophorum Princeps & Michael Ducas Imperator, Magister & Discipulus, tenebantur, utriusque dejectioni & ruinæ occasio facta est.

CAPUT QUINTUM.

Quomodo nobis Collectionis Banduriane Synopsim Cl. J. A. Fabricius exhibeat.

Alia ratione, sive amplioribus verbis, Vir scriptis plurimis clarissimus, *Joannes Albertus Fabricius*, Tomo VI. Bibliothecæ Græcæ, quæ Hamburgi Anno 1714. in 4to. edita fuit, nobis exhibet, *Cap.* 5. à pag. 569. ad 587. *Anselmi Banduri* Ragusini, Presbyteri ac Monachi Benedictini è Congregatione Melitensi, *Imperium Orientale*, sive *Antiquitates Constantinopolitanas*, in IV. partes distributas, & Cosmo III. Magno Etruriæ Duci dedicatas in fol. Parisiis Anno 1711. voluminibus 2. Quorum *Primum* scripta varia ab Editore collecta, *Guillelmi de l'Isle* chartas duas Geographicas complectitur, exhibentes *Imperium Orien-*

rientale per themata distinctum, ejusque descriptionem, quale sæculo x. extitit, cum observationibus ejusdem. *Posterius* continet Bandurii in illa Commentarios, & varias veterum nummorum & monumentorum tabulas, rebus Constantinopolitanis melius intelligendis idoneas, & Urbis ipsius, atque templi S. Sophiæ imagini distinctius animo subjiciendæ utiles, ære nitidè descriptas.

VOLUMINE PRIMO itaque Series Chronologica Imperatorum & Patriarcharum à Constantino Magno Imperatore, & Metrophane Patriarcha, ad captam usque à Turcis Constantinopolim, quam Bandurius labore magno conscripsit: sed quam Fabricius refert hoc Tomo 6. Bibliothecæ Græcæ seorsim, à pag. 709. ad 746. cui præmisit pag. 707. & 708. Catalogum Episcoporum Byzantinorum. XXII. qui ante Constantini Magni ætatem fuisse incertâ fide scribuntur: tum pagina 746. Patriarchas Constantinopolitanos post captam à Turcis urbem, seu ab Anno 1459. ad 1702. pag. 750. cum Catalogo Imperatorum Constantinopolitanorum & Patriarcharum, ordine alphabetico, à pag. 750. ad 762. Opuscula autem, quæ in hoc primo Volumine circumferuntur, hæc sunt.

1. *Constantini Porphyrogeneti Imperatoris de Thematibus Orientis atque Occidentis libri duo*, pag. 1. ad 30. ad MS. Codicem Regis Galliæ bombycinum 2431. ante annos circiter quingentos scriptum emendati, ac Latinâ Versione accuratiore & Notis illustrati, de quibus dixit Fabricius suprà pag. 487. & seqq.

2. *Hieroclis Grammatici* Συνέκδημος, sive *Comes peregrinationis*, pag. 31. ad 52. tradens recensionem ἐπαρχιῶν, sive Provinciarum LXIV. & Civitatum 935. quæ Imperatori Constantinopolitano olim paruerunt, cum Opusculi ejusdem variis editionibus.

3. Constantini Porphyrogeneti liber de administran-

do Imperio pag. 53. ad 157. de quo idem Fabricius dixit supra pag. 487. & sequentibus.

4. *Agapeti Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ σχεδὴ βασιλικὴ ad Justinianum* recens Anno Christi 527. Imperatorem creatum, sive ἔκθεσις κεφαλαίων παραινετικῶν. *Septuaginta duo capitula admonitionum* pag. 158. ad 170. quorum acrostichis, sive litterarum initialium juncta series hæc verba reddit hujus Agapeti magnæ Ecclesiæ Diaconi, τῷ θειοτάτῳ καὶ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ ἡμῶν Ἰουστινιανῷ Ἀγάπητος ὁ ἐλάχιστος διάκονος. De cujus Opusculi variis editionibus, idem post Bandurium Fabricius pag. 570. 571. 572.

5. *Basilii Macedonis, Imperatoris Constantinopolitani*, κεφαλαία παραινετικὰ ad Leonem Sapientem filium, quem pater Anno Christi 879. die 6. Januarii Augustum pronuntiavit. *Capita exhortationum* LXIII. pag. 171. ad 192. quorum acrostichis sive primæ litteræ simul junctæ, hæc verba reddunt: βασιλεῖος ἐν Χριστῷ Βασιλεὺς Ῥωμαίων Λέοντι τῷ πεποθημένῳ υἱῷ καὶ συμβασιλεῖ: *Basilius in Christo Imperator Romanorum Leoni caro filio atque Imperii Collegæ.* Hunc librum *Bandurius* emendavit ex duobus MSS. Codicibus Bibliothecæ Regis Christianissimi num. 3059. 3363. Exstat etiam manuscriptum in Bibliotheca Imperatoria Vindobonensi, ut annotat Lambecius libro 3. pag. 38. dignum quod cum editis conferatur, testatus. Codices Vaticanum, Venetum, & Bibliothecæ Strozzianæ pridem laudavit Gesnerus: cujus etiam editiones varias, post *Bandurium*, affert *Fabricius* ibidem pag. 573.

6. *Theophylacti Bulgariæ Archiepiscopi institutio Regia ad Constantinum Michaelis Ducæ filium* pag. 193. de cujus editionibus aliis cum Bandurio idem Fabricius pag. 285. ubi loquitur de Operibus aliis Theophylacti Acridis in Bulgaria Archiepiscopi. Atque

hæc quidem Opuscula in Parte prima & secunda Voluminis primi *Imperii Orientis*, sive *Constantinopolitanarum Antiquitatum*. In Parte autem tertia Voluminis hujus primi habentur *Libri octo Antiquitatum Constantinopolitanarum*, qui ex MSS. antè ineditis selecti & Græcè descripti, ac Versione Latinâ, copiosisque & editis Commentariis illustrati, de quibus hoc ordine idem Fabricius.

Libri IV. Antiquitatum Constantinopolitanarum, quibus descriptio templorum, aliorumque ædificiorum, paginis 2. 23. 41. 65. ad 81. ex Codice Regio Galliarum 3058. in 4. quorum libro quarto pag. 65. descriptio sanctæ Sophiæ continetur.

Exhibentur libro *quinto* pag. 82. ad 106. Anonymi παραστάσεις συντομοτεχνικαὶ, cum nova Bandurii Versione, quas à Lambecio primùm Græcè, & à Combefisio Græcè ac Latinè editas dixi suprà pag. 480. & sequentibus. Libro sexto pag. 107. ad 114. *Nicetæ Choniatæ narratio de statuis Constantinopolitanis post captam à Gallis Constantinopolim eversis, & ad monetam faciendam conflatis, quam dedi suprà pag. 405. quo in libro* Opuscula diversa exstant. Nempe 1. Georgii Pachymeræ descriptio Augusteonis, quam Boivinius laudatus in Notis ad Gregoram pag. 764. & sequentibus Græcè vulgaverat, sed Bandurius cum Versione sua pag. 114. ad 117. recudi curavit. De *Augusteone*, seu *Augustæo* atrio templi S. Sophiæ, Codinus in Originibus Constantinopolitanis num. 32. Jacobus Goarus ad Codinum *de Officiis* pag. 130. & Bandurius ad *Antiquitates Constantinopolitanas* pag. 468. & seqq. & pag. 804.

2. *Photii Patriarchæ Constantinopolitani Descriptio Ecclesiæ Dei Genitricis in Palatio constructæ à Basilio Macedone Imperatore*, pag. 117. ad 121. Habita est in Encomiis Anno Christi 880. atque Basilii Imperatoris

[illegible] supra) Ediderat jam quidem Lambecius Græcè, & utraque Linguâ Combefisius, ut suprà pag. 485. dicere me memini.

3. Περὶ τῶν τάφων τῶν βασιλέων, *De sepulchris Imperatorum in templo Constantinopolitano S. S. Apostolorum* pag. 121 ad 124. Adjuncta est descriptio Heroi Justiniani & aliorum Imperatorum in Monasteriis [illegible] ex Codice Regio. Confer quæ ex Codice Colbertino Græcè exhibet Ducangius libro quarto Constantinopoleos Christianæ pag. 109. & 110. καὶ ἐν τῷ ἡρῴῳ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου κείμενα, καὶ ἐν τῷ ἡρῴῳ τοῦ μεγάλου Ἰουστινιανοῦ.

4. Denique ibidem *Excerpta de Antiquitatibus Constantinopolitanis* pag. 124. ad 134. ex Codice Regio, & Codino de Ædificiis Constantinopolitanis, cum Lambecii & Bandurii Notis.

Libro *septimo Epigrammata & Poëmatia variorum Poëtarum de rebus Constantinopolitanis*, pag. 135. ad pag. 187. ex Libris *Anthologiæ* tertio & quarto, & aliis locis, de quibus sigillatim Fabricius pag. 375.

Libro *octavo* Catalogi diversi occurrunt. 1. Catalogus Episcoporum & Patriarcharum Constantinopolitanorum pag. 187. ad 190. decerptus ex Chronographia illa compendiaria S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, quæ habetur in Codice Regio diversa ab edita, ac desinit in Ignatio Eunucho. 2. Nicephori Callisti Xanthopuli Enarratio nova de Episcopis Byzantii & Patriarchis Constantinopolitanis pag. 191. ad 200. ex Codice Regio, quem Christianissimo Regi pridem donavit Antonius Eparchus. Desinit autem in Athanasio, qui Joanni Sozopolitano successit. 3. Catalogus Patriarcharum Constantinopolitanorum pag. 201. ad 208. ex Jure Græco-Romano Joannis Leunclavii, Anno 1596. fol. pag. 296. & seqq. diversus ab aliis, desinitque Josepho Abbate Ge-

 lesii.

lesiæ Catalogus Patriarcharum Constantinopolitanorum pag. 209. ad 218. diversus ab aliis, ex nova Variarum Historiarum Synopsi Matthæi Cigalæ Græcè primum Venetiis prodiit Anno 1637. in 4. ac desinit in Neophyto Heracleensi. 5. Catalogus Patriarcharum Constantinopolis pag. 218. ad 229. in Libello Philippi Cyprii Magnæ Ecclesiæ Protonotarii, qui in Parthenio desinit. Hunc primus Græcè & Latinè edidit *Nicolaus Blancardus*, *Franekeræ* 1679. in 4. unà cum Christophoro Angelo, de statu & ritibus Ecclesiæ Græcæ; deinde Lipsiæ cum Notis posthumis Henrici Hilarii, Rectoris Scholæ Collerfeldensis, prodiit Lipsiæ Anno 1687. in 8. 6. Ἔκθεσις [illegible] Ἀνδρονίκου Βασιλέως, *Expositio novo Andronici Palæologi Imperatoris, qui Metropoles Constantinopoleos alias è minoribus ad majores extulit, alias è diverso ad minores thronos depressit*, pag. 230. ad 235. Diversa hæc est ab ἐκθέσει Andronici Senioris, quam cum Codino sæpius editam dixi suprà pag. 1479. 7. [illegible] [illegible], *Catalogus Episcoporum, cui singuli Metropoli subjiciuntur, quæ nunc ex parte supersunt; plerique verò exciderunt*, pag. 230. ad pag. 240. 8. Catalogi duo Imperatorum, unus à Constantino Magno ad Alexium Ducam Murzuflum, pag. 241. ad 243. ex Jure Græco-Romano Joannis Leunclavii pag. 281. alter ab eodem Constantino usque ad Constantinopolim captam, cum subjecta Sultanorum successione, usque ad Annum 1650. pag. 244. ad 249. ex Matthæi Cigalæ Synopsi Variarum Historiarum.

Sequuntur Petri Gyllii Albiensis Galli, Scriptoris eximii, & longarum per annos quadraginta & amplius peregrinationum susceptarum usu, doctrina, ingenio-

que

que clarissimi, qui Anno Christi 1555. ætatis 65. Romæ diem suum obiit, *de Bosphoro Thracio libri III.* pag. 258. *de Topographia Constantinopoleos, & de illius Antiquitatibus Libri IV.* pag. 345. Utrumque Opus Latinè ab Auctore scriptum & post editionem minùs correctam Lugduni 1561. in 4. emendatius minori formâ recusum Anno 1632. inter Respublicas Elzevirianas, lectione dignum. Thoma Smitho, quidem judice in *Notitia Constantinopoleos*, Londini 1692. 8. pag. 66. edita, Gyllius in illius urbis descriptione accuratissimus, nimiâ pene ipsius diligentiâ, narrationem paulò obscuriorem & minùs gratam reddit.

Quam Elzevirius Gyllio subjunxit Veteris Auctoris *Anonymi Latini* circa Theodosii Junioris tempora compositam *Descriptionem Constantinopoleos* per XIV. Regiones pag. 429. cum Notis Guidonis Pancirolli, Bandurius quoque exhibet; poterat verò Præfationem etiam præmittere, quam ex MS. Codice Vindobonensi vulgavit Lambecius Lib. 2. Commentariorum pag. 950. atque in sua ejusdem editione Descriptionis non omisit Ducangius in *Constantinopoli Christiana* libro 1. pag. 63. & seqq. Eandem ediderat Constantinopoleos Descriptionem, sed sine jam dicta Præfatione, illustraveratque Pancirolus ad calcem *Notitiæ utriusque Imperii*, de quo Opere, quod in Tomo VII. *Thesauri Antiquitatum Romanarum* Græviani recusum est, dixi in *Bibliotheca Latina* lib. 1. cap. 1. §. 6. Subjunxerat etiam, sed sine Guidonis Pancirolli Notis, Philippus Labbeus in *Protreptico* ad Scriptores Historiæ Byzantinæ pag. 54. & ad calcem *Notitiæ utriusque Imperii*, Parisiis 1651. in 12. Hæc de Volumine primo *Imperii Orientalis* Banduriani Collectionis. Albertus Fabricius Tomo VI. Bibliothecæ Græcæ cap. 5. à pag. 569. ad 577. de Volumine autem secundo paginâ 580. his verbis.

CAPUT SEXTUM.

Ejusdem Fabricii verba seu judicium de Volumine secundo Collectionis Banduriane.

IN Volumine secundo Bandurius Historiæ Byzantinæ lucem insignem affundit, partim Tabulis æneis nitidè in æs incisis, partim eruditis Notis, & in scripta priore Tomo comprehensa Commentariis. Tabulæ æneæ quatuor præmissæ urbem Constantinopolim, pro vario urbis statu, per varia tempora repræsentant. 1. Qualis ab Anonymo Latino describitur, distincta in XIV. Regiones, tempore Theodosii Junioris. 2. Qualis ab Anonymo Græco describitur, qui Alexi Comneni temporibus vixit, divisa in partes tres. 3. Qualis fuit Johanne Palæologo, penultimo Constantinopoleos Imperatore, ex Christophori de Bondelmontibus Florentini libro *de Insulis Archipelagi*, MS. in Bibliotheca Regia Parisiensi, quem ad Cardinalem Jordanum de Civitate Rhodi misit, Anno Christi 1422. 4. Qualis hodie cernitur, atque à Grelotio delineata est. Similiter *Ansaplus Bosphori Thracii* tabulis duabus repræsentatur, 1. uti ex Dionysio Byzantino, sive, qui hunc secutus est, Petro Gyllio, ac pridem à Guillielmo Sansonio descriptus fuit. 2. Ex delineatione Domini de Combes. Denique exhibetur singulari tabella Prospectus Propontidis atque Hellesponti.

Nummismatum Byzantinorum tabulas septem post paginam 456. sive quæ Byzantinâ veteri Republicâ adhuc florente, sive quæ sub Imperatoribus cusa sunt; magnam partem ex Regis Christianissimi Gazophylacio Bandurius, reliqua autem è Pucaltrano deprompsit.

Spe-

Specimen diptychi eburnei Consularis pag. 492. quale dederat Sirmondus in Notis posterioribus ad Sidonium Libro VIII. Epist. 6. Tom. 1. Operum pag. 1060.

Columna Historiata, quam Constantinopoli Arcadius Imperator pridem ex marmore erigi curavit, & in qua Theodosii patris gesta, necnon ædificia ab utroque Augusto exstructa repræsentantur, Tabulis XIX. per partes pulchrè descriptam exhibet; post paginam 508. Confer quæ de eadem Ducangius in *Constantinopoli Christiana* libro 1. pag. 78. & Franciscus Menetrerius Soc. Jesu, qui columnam eandem ære depingi curavit & Parisiis Anno 1703. copiosè descripsit.

Pag. 632. ex Codice Regio characterе unciali nono sæculo scripto, in quo Opera S. Gregorii Nazianzeni exstant, in una tabella exhibentur, *Ordinatio S. Gregorii Nazianzeni*, *Victoria Constantini Magni contra Maxentium*, & *Inventio sanctæ Crucis per Helenam Constantini Magni matrem.*

Pag. 664. *Reliquiæ Circi seu Hippodromi Constantinopolitani* à Constantino Magno exædificati, quales adhuc fuerunt, centum annis ante Constantinopolim à Turcis occupatam, ex Onuphrii Panvinii Libro 1. *De Ludis Circensibus.*

Pag. 667. *Anaglypha in latere Septentrionali Stylobatæ Obelisci*, qui ex lapide Thebaico in medio Hippodromo Constantinopolitano erectus erat, descripta ex Jacobi Sponii & Georgii Wheleri scriptis itinerariis. Præterea *Tripus æreus Apollinis*, qui in eodem Hippodromo fuit, & Columna marmorea Marciano Imperatori à Tatiano quodam posita, alteraque Porphyretica, quæ Constantinopoli etiamnum visitur.

Pag. 745. *Ichnographia Templi Sanctæ Sophiæ Constantinopolitani*, & ejusdem Prospectus exterior Septen-

trionalis & Occiduus, qualis hodie cernitur pag. 752. atque Meridionalis pag. 756. Prospectus interior versus altare pag. 758. & Prospectus altari adversus, versus ostia pag. 762. Omnia ex Josephi Grelotii accurata descriptione, ex illius *Itinerario Constantinopolitano*, quod Gallicè prodiit Parisiis 1680. in 4. atque inscribitur, *Relation nouvelle d'un Voyage de Constantinople, enrichie de Plans levez sur les lieux, & de tout ce qu'il y a de plus remarquable de cette ville.*

Pag. 790. *Naturæ multimammæ Imago*, ex pila marmorea antiqua Romæ obvia, quam repræsentavit Petrus Lambecius libro 2. Commentariorum pag. 738.

Pag. 937. *Imago Synodi Constantinopolitanæ universalis adversus Macedonium & Apollinarem habitæ*, Theodosio Magno imperante, deprompta ex Codice MS. sæculi noni Operum Sancti Gregorii Nazianzeni, ex quo Bandurius pag. 632. alias icones exhibuerat, & de quo consulendus Bernardus de Montfaucon in *Palæographia Græca* pag. 250. ac Franciscus Louvart, in *Conspectu novæ editionis Operum S. Gregorii Nazianzeni procurandæ*. Porrò observare licet, in hac Synodi imagine, in medio summo loco positum thronum, cui non insidet, sed proximus ante Episcopos assidet *Imperator*: in throno autem positum esse magnum volumen explicatum, *Sacræ Scripturæ* videlicet, ad cujus oracula exigi omnia oportet.

Pag. 991. Imagines Johannis Baptistæ, Constantini Magni, matrisque Helenæ, Manuelis atque Johannis Palæologorum & Josephi Patriarchæ Constantinopolitani, qui Florentiæ in Concilio obiit, ex Codice Regio 3078. Antiquitates Constantinopolitanas complexo, quas primis quatuor libris Anselmus Banduriis edidit.

Post paginam 1007. Tabulæ sex celebriorum artificiorum, Constantinopoli ab Imperatoribus Mahu-

me-

metanis conditorum, quæ hodie ibi ſuperſunt. 1. Ichnographia, & proſpectus templi Sultani Achmed. 2. Proſpectus Solimaniæ, ſive ſuperbi Templi à Solimano exſtructi. 3. Ichnographia ejuſdem. 4. Proſpectus Templi cui nomen *Validæa*. 5. Clauſtri pro Gynæceo Imperatorio, Gallicè *Grand Serrail*, & Palatii proſpectus: & 6. Clauſtri porta ſive introitus, ex Grelotio ſuprà laudato, una cum deſcriptione illius linguâ Gallicâ. Denique in Notis ad Conſtantinum Porphyrogenitum pag. 118. & 119. exſtant *Alphabeta Slavonica varia*.

Hæc Joannes Albertus Fabricius, dum Imperium Orientis, ſeu *Antiquitates Conſtantinopolitanas* Anſelmi Bandurii depingit à pag. 569. ad 582. qui Tomo etiam VI. ſeu Libro V. ejuſdem *Bibliothecæ Græcæ* cap. 5. paginis 352. & 353. de *Michaelis Pſelli Hiſtoria Byzantina*, quæ in Collectaneo Simeonis Metaphraſtis ultimum locum occupat, latiſſimè diſſerit, referens etiam quid de illa ſentiat Franciſcus Combefiſius in *Apparatu ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam*, verbo *Simeon Metaphraſtes*: exiſtimans hoc Collectaneum eſſe *alterius Simeonis* quàm Metaphraſtæ, eo quòd veram Metaphraſtæ ætatem vir bonus, & Allatio nimium credulus, ab anno vigeſimo ſæculi duodecimi ad quinquageſimum ſub Imperiis Joannis & Manuelis Comnenorum aſſignandam, non cognoverit.

CAPUT SEPTIMUM.

Manuſcriptum Codicem Regiæ Bibliothecæ eſſe longè recentiorem, quàm Anſelmus Bandurius crediderit atque ſcripſerit.

DUo autem ſunt quæ contra Bandurium, vel ejus opinionem, in hoc capite probanda mihi incumbunt:

bunt. 1. Manuscriptum Codicem Græcum 3058. in quarto Regiæ Bibliothecæ, esse Anno 1260. longè recentiorem seu temporibus cunctis Michaelis Palæologi Imperatoris, qui ab Anno citato ad Annum 1282. Imperium obtinuit. 2. Manuscriptum hunc Codicem non fuisse illatum in Bibliothecam Regiam, post clarissimi Dufresnii mortem, vel Joannis Baptistæ Cotelerii, qui fatum Dufresnii paucis post ipsum mensibus secutus est, uterque enim Parisiis Anno 1688. mortem obiit, cujus & ultimi obsequiis invitati apud S. Germanum de Pratis adfuimus, ut antea diximus. Hæc non scribimus, ut Clarissimi Banduvii merito sive labori detractum velimus, sed solius causâ detegendæ veritatis. Quantum enim debeamus celeberrimæ Congregationi Sancti Mauri in Gallia, quæ tot insignes eruditione viros Ecclesiæ nostra ætate produxit, eruditorum Monachorum nutrici, atque specialim Cœnobio Sancti Germani de Pratis antiquissimo, quod Congregationis hujus velut Athenæum est, hilares lubentesque agnoscimus: quorum Fratribus ut contubernalibus & Bibliotheca tam impressorum quàm manuscriptorum Librorum cum libertate omni usus per annos plures, illuc quotidianus adventans, atque ab iis cùm virtute, tùm doctrinâ & antiquitatis notione, mutuis informatus collationibus sive colloquiis, Præmonstratensem ignorantiam depuli, socordiam excussi, veternum Colubri cum scandalo luxuriantis & imperantis reliqui.

Commendat Anonymum suum multis ex capitibus Banduvius editor, his verbis, ex Diario Parisiensi: „Auctorem illorum Librorum sub Alexio Comneno „vixisse, ex Iambis in fronte positis, eidemque Imperatori nuncupatis, arguitur; fuisse verò Monachum ex Præfatione, in qua Alexium à munificentia & liberalitate in Monachos laudat, conficitur.

Cæ-

„Caeterum in eo Codice præferendus, quod secus ab „hoc factum deprehenditur, urbem in tres partes „distributam describat, atque adeo singulis ædificiis „situm suum, quem tenuere, assignet. Nec Auctorem tantum ab antiquitate commendat, sed & Codicem Manuscriptum Regiæ Bibliothecæ, qui Banduriane huic Collectioni dedit occasionem, de quo ita Diarium citatum Dissertationis hujus capite 1.

„Tandem ad tertiam hujus Collectanei partem pervenimus, unde Operis hujus initium; seu *Antiquitates Constantinopolitanæ* propriè dictæ incipiunt: „nam quæ præcedunt duobus partibus prioribus, velut Præliminaria duntaxat consideranda sunt. Constat illa pars *Excerptis* viii. *Antiquitatum Constantinopolitanarum*, quorum libri quatuor priores illi sunt, „qui sub titulo *Patria & Origines Urbis Constantinopolitanæ*, ex Codice MS. Regio 3058. chartaceo „superius commemorato, circa Michaelis Palæologi „tempora conscripto, atque Constantinopoli advecto, „paucisque post Ducangii obitum annis in Bibliotheam Regiam illato, nunc primùm in lucem prodeunt, paginis 2. 25. 65. & 84.

Hæc quidem magnâ pompâ Bandurius scripsit, sed veritati minùs consona; dum scribit enim hunc Codicem Regium Græcum 3058. chartaceum esse; si tantillum in antiquitate MSS. Codicum versatus fuisset, scriptum illum esse post Annum 1300. fateatur necesse est; quo à tempore charta sola ad Libros describendos assumpta est, & non antea. Scribi ergo hic Codex non potuit, ut sibi Bandurius opinatus est, sub Michaelis Palæologi tempora, qui ab Anno 1260. ad 1282. Imperium Constantinopolitanum tenuit. Sed Manuscriptum Codicem integris aliorum centuriis hac ætate recentiorem esse, atque post Annum 1439. quo Synodus Florentina celebrata fuit; recentiorem

esse,

esse, invicto probant argumento illa prædicta à Joanne Alberto Fabricio Hamburgensi Theologo Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* pag. 582. ubi descripsit Codicem illum Bandurii, atque ad hujus Manuscripti Codicis Regii ornatum, existare depictas *Imagines Sancti Johannis Baptistæ, Constantini magni, Matrisque Helenæ, Manuelis & Johannis Palæologorum, & Josephi Patriarchæ Constantinopolitani, qui Florentiæ Anno* 1439. *obiit, in hoc Codice Regio* 3058. Codex ergo ille Regius, cui antiquitatem scripturæ longè majorem Bandurius assignat, necessariò post mortem *Manuelis & Johannis Palæologorum*, qui ex ultimis Imperatoribus Orientis fuerunt, & post mortem Josephi, qui Anno 1439. Florentiæ in Concilio mortuus fuit, absolutè ac certò scriptus videtur. Ita Fabricius loco citato pag. 582. Est ergo hic Codex, non sub Imperio Michaelis Palæologi, qui ab Anno 1260. ad 1282. Imperium tenuit, scriptus, sed post Florentinam Synodum ex prædictis, atque ita post Annum 1440. contrà quam sentit & scribit imperite vel oscitanter Bandurius. Sanè cum Johannes Palæologus, Imperator hujus nominis VIII. cujus imago in hoc Codice depingitur cum imagine Sancti Johannis Baptistæ, quem patronum haberet, usque ad Annum 1443. imperaverit, rectè Codicem extremis hujus Imperii annis descriptum opinamur, atque post mortem Josephi Patriarchæ Constantinopolitani, Anno 1439. humanæ vitæ erepti.

Licet porrò Codices MSS. tam Latinos quàm Græcos, innumeros in Bibliothecis Galliarum ac Belgii plurimis ab anno ætatis circiter 20. viderim & excusserim, nullum tamen in chartâ seu papyro exstantem unquam vidisse me memini, qui non esset Anno MCCC. recentior, vel ante hunc Annum antiquitatem suam referre videtur. Ex doctiorum autem virorum calcu-

lo,

jus sub seculi xiii initium Libri MSS. in charta scri-
bi cœperunt, non tam quidem, ut modo fieri con-
suevit, sed in charta simul & pergameno alternati-
bus, [illegible] in eodem libro succedentibus, id quod
usque ad seculi xiv medium & ultrà continuatum fuit:
atque hinc Codicem MS. Græcum Bibliothecæ Re-
giæ 2898. chartaceum, ex quo Anselmus Bandurius
Librum Antiquitatum Constantinopolitanarum Græco-
Barbaro vulgavit, tempore Michaelis Palæologi Impera-
toris esse longè recentiorem, [illegible] conglu-
tinatum [illegible] totum ex charta esse compactum resci-
mus. Nec id mihi mirum apparet, cum Scripto-
res illi, qui Codices MSS. evulgarunt, attendunt,
ut exemplis [illegible] probare possint, vel semper,
vel ut plurimum, Codices illos [illegible] ætate anno-
rum [illegible] antiquiores [illegible] quàm reverà
sunt. Nec id [illegible] hujus Codicis MS. Græ-
ci [illegible] Regiæ Gallicanæ Bibliothecæ, quem ob al-
latas suprà rationes Concilio Florentino recentiorem
esse apertè constat. Recentior est igitur annis centum
& sexaginta, quàm a Bandurio [illegible] facili [illegible]
[illegible]

CAPUT OCTAVUM.

Plures magni nominis viros circa MSS. Codices errasse, quod nimiam ipsis antiquitatem assignarent.

ATque ut [illegible] probemus, [illegible] extra Parisios urbem egrediamur, in qua studium illud Manu-scriptorum Codicum [illegible] haudqua-quam necesse est. Nam quo tempore Ducangius & Co-telerius viri doctissimi [illegible] Anno 1686 incumbe-bant Catalogo MSS. Græcorum omnium Regiæ Bi-blio-

bliothecam instituendo, nondum annoque desudabant insi-
gnes duo viri, Monachi Sancti Germani de Pratis, amici
mei singulares, ut Bibliothecae ejusdem divitis MSS.
Codices omnes Latinos excuterent atque in Catalo-
gum recenserent; Michael Germanus, Joannis Ma-
billionis ob eruditionem notissimi Socius, qui illum
postea comitatus est in Itinere Italico Anno 1688. ad
literariam rem suscepto, & Placidus Porcheron Biblio-
thecae S. Germani de Pratis Praefectus, vir modestia
insignis, nec pietatis inferioris.

Cum ambobus jam existentis amicitiae speciem ferrem, illique labore suo perfuncti fuissent, Catalogum
istum optanti mihi, ut per hebdomadas aliquas adtusum
studiorum meorum volverem atque perscrutarer, gra-
tiam non denegarunt, illumque mihi Placidus Biblio-
thecarius, placidâ quâ excelluit mente, compactum in
folio exhibuit, quem ad hebdomadas sex vel ultra
in Museo meo possedi, cum otio & libertate omni.
Erat Catalogus iste ita comparatus, ut Manuscripto-
rum omnium Latinorum veterum in membrana vel
papyro compactorum seriem & numerum referret, ac
quidquid in Codicibus MSS. singulis continebatur, per
ordinem recenseret. Nonnullos etiam recentioris no-
tae, saeculo nempe 1600. & postea scriptos, ob scri-
ptorum celebritatem veteribus adjungeret, qualia e-
rant Volumina Joannis Maldonati Soc. Jesu & An-
dreae Duchesnii manu scripta propria atque aliorum,
quorum mihi memoria excidit. Cum autem uterque
Michael & Placidus, de quibus suprà, in Codicibus
MSS. excutiendis & examinandis versatissimi pollerent,
non tantum in hoc Catalogo observabant ad MSS.
Codices singulos, quaenam in illis Opuscula vel pauciora
vel plura continerentur, sed pro sua peritia suas his in
rebus opiniones, in Codicibus quibusque, quantae
antiquitatis sibi viderentur, collatione ingeniosâ habitâ

 taxa-

taxabant, 200, 300, vel 400 annorum, vel circiter.

Quia verò in hac Bibliotheca frequens versabar, atque cum Præfectis illius liberè agebam, plurimosque ex MSS. Codicibus Latinis sæpius manibus oculisque volverem: quando hunc Catalogum in Museo commodatum habui, incessit cupido vel curiositas, ut Codices plurimos propriis oculis inspectos conferrem, cum taxatione illa, quam Benedictini amici nostri Codicibus singulis quoad antiquitatem Manuscriptorum adscripserant. Ac re juxta notionem meam pensitatâ, reperiebam illos unâ sæpe aut alterâ annorum centuriâ liberaliores fuisse in antiquitate Codicum taxanda, quàm conveniret aut competere videretur. Nec enim regulæ judiciorum ejusmodi certæ esse possunt, sed quidquid hoc in argumento agimus, nitimur conjecturis solis, quæ sæpissime cautiores etiam in errorem adducunt. Atque ut hoc demonstrativè probemus, extra Regiam Bibliothecam non egrediemur.

Amicus iste noster, Bibliothecarius Sancti Germani de Pratis, Placidus Porcheron, Anno 1688. edidit in 8. Parisiis Opus inscriptum, *Ravennatis Anonymi, qui circa sæculum* VII. *vixit, Geographiæ libri quinque* ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quem ex antiquitate MS. Codicis ad sæculum septimum pertinere arbitrabatur. Idem porro Opus in 8°. recusum iterum hic Lugduni-Batavorum Anno 1696. apud Jordanum Luchtmans, ac illud contulit Jacobus Gronovius ad MS. Codicem alterum Bibliothecæ nostræ Lugduno-Batavæ, cujus variationes aliquas à Parisiensi Codice adjecit in Præfatione ad Pomponium Melam *De Situ Orbis* à se editum per paginas duodecim à Præfationis pag. 8. ad finem. Unum ex suis Exemplaribus compactum obtulit mihi Placidus Porcheron tanquam Amico ejus singulari, dum Parisiis eram,

quod

quod attentione speciali legere ob necessitudinem placuit. Inter legendum autem animadverti Amicum nostrum deceptum fuisse, multis non annis nec annorum decadibus, sed integris ad minus 400. annorum centuriis remotum fuisse ab Anonymi sui vera ætate, quem sæculo VII. vixisse imprudens scripserat. Sed circa Annum 1130. vel 1140. tantùm floruisse ac vixisse, pro comperto ex lectione Operis nactus sum. Rem nulli unquam quamdiu vixit aperui, cùm id legi amicitiæ deberem. At cùm ad me rescripsisset Anno 1699. clarissimus Godefridus Leibnitzius Hanoverâ Lugdunum Batavorum, atque illius mortem, quæ illi hoc anno ex Gallia exterris his in partibus contigit: cùm de hoc ipsius Opere evulgato loqueretur mihi Leibnitzius, rescripsi nec conticui Leibnitzio, quàm fædè & enormiter in assignanda Anonymi sui ætate deceptus fuisset. Errorem suum ipsi Editori, dum viveret, non tacueram inter privatos parietes detexeram, secretum quamdiu vixit tenueram, nec mihi rationem hujusce lapsus asserenti respondere unquam potuerit. Oraveram, ut si quam, quod fallerer, rationem dare posset, lubens & amicus amplecterer.

Hic igitur Anonymus Scriptor lib. 1. num. 6. pag. 9. hæc habet: „Ad Orientalem plagam ipse Paradisus „esse ostenditur, prout hic testatur, in Sanctis A„thanasius Alexandriæ Episcopus ab Antiocho requi„situs Præside dicens, Testificatur mihi Sancta Scri„ptura dicens, quod plantavit Deus Paradisum in E„den ad Orientem; docet enim nos, quia in extrema „Orientis totius terra est Paradisus. Quamobrem „ajunt quidam disertissimi Historiographi, quoniam „propterea cuncta aromatum genera gignuntur, in „magis Orientalibus, hoc est Indicis partibus, sicut „prædicta existit Paradisi Provincia. Et quemad„modum palmæ masculi proximè vicinantes seminas

„pal-

„palmas per adſpirationem ventorum fructificare fa„ciunt: ita videlicet ex Paradiſo ventorum flatibus „fragrans adſpiratio, vicinantium ſibi locorum arbo„res aromata gignere faciunt; taleque teſtimonium „quod ipſe exiſtit fluvius.

Opera Sancti Athanaſii Alexandriæ Archiepiſcopi ſæpius edita fuerunt & à diverſis in Latinam tranſlata Linguam, ſed Græcè & Latinè potiſſimùm Pariſiis edita ſunt 2. Tomis in folio Anno 1627. quam editionem ut ampliorem aliis omnibus & correctiorem ſequimur, atque ex Græco-Latina Commeliniana Heidelbergæ Anno 1601. facta in folio feliciter expreſſam, quam repræſentat Philippus Labbeus, Tomo 1. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, pag. 113. Hujus autem editionis Tomo 2. pag. 231. ad 395. exſtant *Sancti Patris noſtri Athanaſii Alexandriæ Archiepiſcopi ad Antiochum Principem, de diverſis utriuſque Veteris & Novi Teſtamenti locis Scripturarum Quæſtiones* CXXXVI. ex MS. Codice Bibliothecæ Palatinæ primùm productæ Heidelbergæ in editione Anni 1601. Commeliniana Græcè & Latinè in folio, interpretibus tribus Proteſtantibus, quorum nomina hìc exprimuntur. Nihil ferè de his Quæſtionibus habet Labbeus in Diſſertatione *De Scriptoribus Eccleſiaſticis in Athanaſio Alexandrino*, Tomo 1. pag. 119. ſed Tomo 2. *in Addendis & corrigendis* pag. 728. ſequentia ſubjicit: „Sixtus Senenſis „libro 4. Bibliothecæ Sanctæ rejicit his verbis: „*Quæſtionum ex Veteris & Novi Teſtamenti locis ad „Antiochum Principem liber unus, continens Quæ„ſtiones* CLXI. *Athanaſii non videtur.* Suſpicor hunc „ex variis Patrum ſcriptis collectum à Studioſo „quopiam, qui in Quæſtione IV. Theologiam My„ſticam Dionyſii Areopagitæ ſæculo ut arbitror A„thanaſii ignotam allegat. Et Quæſtione 33. citat „Athanaſium ipſum, & ab eo diverſam ſententiam

„amplectitur. Videndi quoque ex noſtris Maldona-
„tus, Poſſevinus, Cornelius à Lapide, aliique: quæ-
„que ſuprà in *Addendis* ex Leone Allatio diximus,
„de Juſtini Martyris & Anaſtaſii Sinaitæ Quæſtioni-
„bus, ab aliquo poſterioris ævi Scriptore, multarum
„pariter additionum fermento locupletatis. Ex qui-
bus Sixti Senenſis paucis verbis ac Philippi Labbei
pronuntiatione vaga atque ad alios remittente, Opu-
ſculum à neutro unquam lectum fuiſſe arbitratus ſum.

Accinctus igitur lectioni Quæſtionum feriæ & at-
tentæ, percurrens titulos, abſque morâ reperi Scri-
ptorem illarum eſſe hominem, non Athanaſium Ale-
xandrinum veterem, ſed Græciæ recentiſſimæ, ſub
larvato Athanaſii nomine, Græcorum more, nugas
poſteris vendentem. Nam ex Quæſtionibus 39. 40. &
41. apparet evidenter, Opus iſtud compoſitum fuiſſe
poſt ingentem illam de cultu Imaginum & Crucis
adoratione altercationem Sæculis Eccleſiæ VIII. & IX.
agitatam, ac Anno tandem 842. poſt Imaginum reſti-
tutionem ſopitam: unde non poſſe eſſe Scriptoris ſæ-
culo IX. anterioris, atque ab ætate Athanaſii Alexan-
drini quingentis annis remoti, certò certius mihi con-
ſtitit. Progreſſus autem ulterius ad pag. 349. Quæſtio-
ne XLIV. longè adhuc ætate iſta recentiorem reperi
Scriptorem iſtarum Quæſtionum. Dicta enim illic A-
nonymum Scriptorem Græcum illum ad ſæculum
Eccleſiæ duodecimum detrudunt. Nam vir bonus &
Græcus nugax affirmat illic, *quòd Chriſtus omnia loca,*
quæ ſuâ præſentiâ in Paleſtina ſanctificavit, Eccleſiæ
ſoli Catholicæ commiſerit & conſervanda tradiderit. Au-
diamus propria vendentis nugas verba: *Ita enim Chri-*
ſtus ſtatim ab initio ſuæ præſentiæ, Catholicæ Eccleſiæ
veneranda loca tradidit. Si quis verò nobis objiciat, quod
tyrannicâ poteſtate illa teneamus: efuſimolli homo diſcat,
quantumvis etiam ſæpenumerò Barbari Paleſtinam oc-

cu-

cupaverint, non permisisse tamen Christum, sua ipsius loca hæreticis tradenda, sed licèt ad breve tempus ea aggressi sint; statim tamen iterum Catholica Ecclesia ut porcos eos expulit ex Christi Dei nostri sanctis mansionibus & locis: τούτους ἀπεδίωξεν ὡς χοίρους, τῶν ἁγίων Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν αὐλῶν καὶ τόπων. Utinam in narratione hac non plura essent mendacia, quàm verba! Etsi septuaginta octo annos natus, risum tamen continere non potui, dum ista Græculi devoti Scripta revolverem, tàm imponè ac impudenter mentientis.

Relictis Pseudo-Athanasii istius mendaciis, ad institutum nostrum nihil facientibus, restat ut quamnam verba superiùs allata ætatem hujus Scriptoris designent, certò aperiamus. Juxta Ecclesiasticos notæ præstantioris Historicos, Christophorum Helvicum, Sethum Calvisium & alios; quos recensere necessarium non est, contra falsam ignaramque Pseudo-Anastasii hujus assertionem, nec Palæstina, nec Syria, nec Hierosolyma cum locis aliis, quos Christus Dominus suâ præsentiâ dum viveret honorare voluit, in manibus Ecclesiæ Catholicæ, ut noster Græculus loquitur, semper fuerunt: sed multis temporibus ab Agarenis seu Saracenis occupata sunt, sub quorum potestate, *non pauco admodum tempore*, sed multis annorum centuriis occupata sunt, ut ab annis jam trecentis & ultra à Turcis seu Muhammedanis occupantur, cum possessione tranquilla & omnimoda, contra Mendacem istum. Mendacium istud ita enorme & impudens est, ut à nemine, nisi insano, excusari queat. Hierosolyma sub Heraclii Imperio capta fuisse scribitur à Cosroe Persarum Rege Anno Æræ Christianæ 636. Sophronio Hierosolymitano Patriarcha ultimo 630. ut Cedrenus habet, quæ à Saracenis possessa iisdem per 463. annos, usque ad Annum 1099. vel 1100. quo sub Urbano II. Occidentalibus Crucesignatis expeditio-

nem in Orientem facientibus ſub Godefrido Bullonienſi, Saracenos Hieroſolymâ captâ expuliſſent. Hoc conſtans ita eſt, ut ab Hiſtoricis plurimis, qui illi etiam interfuerint, ſcriptum remaneat. Dum ergo hic Pſeudo-Athanaſius pag. 303. Quæſtione XLIV. ita loquitur, diſertè oſtendit ſe poſt Annum Chriſti MC. ſcribere, ſub ſæculi duodecimi initium, ac forſitan iiſdem Occidentalibus adhuc in Palæſtina imperantibus ac Hieroſolymam occupantibus; quo ex rerum ſitu mendacium ſcribentis Græci apertè deſtruitur. Scripſit ergo hic circa Annum MCX. Pſeudo-Athanaſius, nec ante hunc annum ſcribere potuit.

Jam ut ad argumentum, unde aberravit oratio, revertamur: Anonymus Ravennatenſis, quem ſæculo VII. affixit Placidus Porcheron amicus noſter, hoc Pſeudo-Anaſtaſio, quem verbo tenus profert, duabus aut tribus annorum decadibus recentior eſſe debuit, ut antiquiorem ſe allegare poſſet. Juxta itaque recti ſenſus regulas, ante Annum MCXL. Anonymus Ravennatenſis ſcribere non potuit, quidquid contrà ſtatuat Placidus Bibliothecarius, ex incerta MS. Codicis Regii taxatione antiquitatis. Quid mirum igitur, ſi Anſelmus Bandurius Monachus Benedictinus Congregationis Melitenſis, jam Bibliothecarius Magni Florentiæ Ducis conſtitutus ex publicis nuntiis, circa manuſcriptum Codicem Pſelli Regiæ Bibliothecæ, centum ſexaginta annis quoad Codicis antiquitatem erraverit: cùm Placidus Porcheron Bibliothecarius Sancti Germani de Pratis Pariſienſibus, in manuſcriptis Codicibus tractandis verſatiſſimus, qui Catalogum omnium Mſſ. Latinorum Regiæ Bibliothecæ Anno 1686. quando Pariſiis eram & videbam, adornavit, cum Michaele Germain, Joannis Mabillionis Socio: hic inquam Bibliothecarius, quadringentis & amplius annis erraverit, circa antiquitatem aſſignandam

Ano-

Anonymi Ravennatensis ex Codice Regio, cujus editionem publicam faciebat. Quod autem Jacobus Gronovius, hoc Anno 1716. die 21. Octobris mortuus ac die 26. terræ mandatus, hanc *Geographiam* ad alterum MS. exemplar Lugduno-Batavæ Bibliothecæ nostræ contulerit, nihil ad rem facit: quia Mss. Codices nostræ Bibliothecæ ferè omnes recentes sunt, ac pauciſſimi qui ſæculum duodecimum vel attingant vel ſuperent, ut evolventi mihi patuit. Hæc de Mss. Codicibus, occaſione MS. Codicis 3058. Regiæ Bibliothecæ.

At Athanaſius ille Alexandriæ Archiepiſcopus, quem allegat libro I. *Geographiæ* num. 6. pag. 9. *Anonymus Ravennatenſis Geographus*, adhuc longè recentior eſt ſæculo XII. quem Euſebius Renaudot in *Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Alexandrinorum* pag. 599. recenſet, atque Patriarcham hujuſce ſedis recentiſſimum facit, ad A. Chriſti 1252. & 1262. aſſignans, de quo poſtea latius acturi ſumus, quem Patriarcham LXXVI. nominat: unde Anonymus Ravennatenſis, qui illum verbo tenus refert, illo adhuc recentior eſſe debet: neque eſſe poteſt ſæculo XIV. antiquior, quamvis amicus noſter Placidus illum ad ſæculum VII. referat, annis tantùm ſeptingentis, quod parum eſt, ab Anonymi ſui Ravennatenſis Geographi verâ ætate aberrans. Nec primus eſt, qui ita turpiter erraverit, in ætate aſſignanda alicujus Scriptoris incerti, qui ex MS. Codice evulgatur. Unde conjicimus Codicem Regium, ex quo prodiit, non eſſe majoris antiquitatis, quàm qui ex Voſſio, in Bibliotheca noſtra recentiſſimus & chartaceus eſt, Geographiam eandem referens. Reſtat ad probandam theſim noſtram, ut ex Scriptoribus bonæ fidei & certis, Athanaſium hunc LXXVI. Patriarcham Alexandrinum, quem Anonymus Ravennatenſis referens deſcribit, probemus eſſe ſæculi XIV.

recentiſſimum Scriptorem; ut idem de Anonymo Ravennatenſi concludi certè poſſit ac debeat. Nicephorus Gregoras *Hiſtoriæ ſuæ Byzantinæ* lib. 7. cap. 1. Athanaſii hujus Patriarchæ Alexandrini ut adverſarii Athanaſio Patriarchæ Conſtantinopolitano meminit, qui iterato ad hanc ſedem aſſumptus poſt abdicationem fuerat, ab Anno 1302. ad 1309. vel 1310. Imò veriſimile eſt illum cum Archiepiſcopo Tyrio præbuiſſe occaſionem abdicationi ſecundæ Athanaſii hujus Patriarchæ Conſtantinopolitani, ut conſtat ex Epiſtola illius 52. cujus titulum refert ex MS. Codice Albertus Fabricius *Bibliothecæ Græcæ* Tomo VI. pag. 584. ubi de *Epiſtolis* Athanaſii Conſtantinopolitani. Præterea Amicus fuit Georgio Pachymeræ ejuſdem temporis Scriptori, ut idem Fabricius habet ibidem pag. 465. in tantum ut Pachymeres ad inſtantiam illius in Opera Sancti Dionyſii Areopagitæ Paraphraſin ſcripſerit, quam illi etiam Conſtantinopoli reſidenti dedicaverit. Conſtat ergo ætas Athanaſii hujus Alexandrini ſæculo XIV. ac conſequenter Anonymi Ravennatenſis Geographi, qui illo, quem exſcribit, antiquior eſſe non poteſt.

CAPUT NONUM.

Manuſcriptum Codicem Græcum 3058. fuiſſe in Bibliotheca Regia, dum viveret Ducangius.

QUæſtionem hanc non adeo magni momenti eſſe ad Hiſtoriam Criticam veſtram Reipublicæ Litterariæ ultroneus agnoſco, neque talem eſſe quæ Cl. Banduri famam ullatenus imminuere poſſit, optimo jure apud Eruditos ſibi comparatam. Quod igitur incautè, qui rebus non adfuit, Banduriis capire IV. Diſ-

Dissertationis hujus à nobis relatus ad verbum scribit, *hunc MS. Codicem in Regia Bibliotheca non exstitisse*, dum viveret Ducangius, sed in eam illatum fuisse post illius mortem: somnium est, vel suspicio ab Anselmo Bandurio minus consideratè conscripta, ut Scriptorem hunc Catalogi MSS. Græcorum clarissimum excusaret, quòd illius ut putat mentionem non fecisset. Exstabat tempore clarissimi Ducangii, qui cum Regiæ Bibliothecæ Mss. Græcorum Codicum ante Annum 1686. unà cum Johanne Baptista Cotelerio, Catalogum novum, dum Parisiis eram & videbam, conscripsit. Unde uterque Ducangius & Cotelerius huius non ignoti, in Operibus suis semper Codices Mss. Græcos Regios allegant, juxta numeros novos Catalogi ultimi à se confecti: cui rei Bandurius non attendit. Quod autem tunc temporis exstaret Manuscriptus Græcus num. 3058. constat, quia in Catalogo eorum suo ordine, videntibus nobis, reperitur. Vidimus ac tenuimus frequenter ad usum nostrum, Catalogum illum Codicum Græcorum Mss. Bibliothecæ Regiæ, quæ tunc temporis ab unitate ad Codices Græcos Mss. 3600. & ultrà, continuâ numerorum serie & absque interruptione ulla protendebatur: unde nulli dubitamus, quin Codex MS. Græcus 3058. in eadem Bibliotheca Regia exstaret, suoque ordine recenseretur. Non habuit semper Regia Bibliotheca multitudinem librorum quam nunc possidet, sed paulatim accrevit illa, sollicitudine Bibliothecariorum, qui supellectili librariæ præfecti erant. Juxta enim *Catalogum Bibliothecæ Coislinianæ* seu *Seguieranæ* parte 2. cap. 6. pag. 320. Codex CCCLVI. olim CCCXXXIII. in charta vulgari papyrea foliorum 118. est *Catalogus manuscriptorum Codicum Græcorum Bibliothecæ Regiæ sub Henrico II. Rege factus*, incipiens Ἀββᾶ θαλασσίου ἑκατοντάδες καὶ &c. qui complectitur 558. Codices.

Regnavit autem Henricus II. annos 12. ab Anno 1548. ad 1559. Tunc temporis igitur erant tantum Codices MS. Græci 558. in Regia Bibliotheca. Ab hac autem temporis intercapedine, ad Annum 1653. quantum accreverit liquet ex *Nova Bibliotheca Mſſ. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimina antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam edendam voluit Philippus Labbeus Soc. Jesu Parisiis in 4. apud Joannem Henault. Omne enim illud Opus à Labbeo collectum est ex Catalogis Codicum Mſſ. tam Græcorum quàm Latinorum atque Gallicorum Regiæ Bibliothecæ, in quâ dudum versatus est, omnemque licentiam habuit, unde Opus aliud ferè nihil est quàm Catalogus Librorum illius manuscriptorum omnium, quos summatim recenset eo ordine ac serie, qua tunc temporis in eadem habebantur & asservabantur. Cujus conficiendi occasionem Anno 1648. habuit, dum incumberet Scriptoribus ad Historiam Byzantinam spectantibus ex Bibliotheca Regia colligendis atque ordinandis, cum Protreptico seu Adhortatione ad Historiam Byzantinam ex typographia Regia edito.

Si Banduris attentè Opera Ducangii legisset, atque citationes manuscriptorum Codicum Græcorum juxta Catalogum ultimum à se & Cotelerio compactum allegatas considerâsset, in hanc *ἀνεορτίαν* incautus non lapsus fuisset.

1. Hoc demonstrari potest ex Dissertationis hujus cap. 4. ubi Bandurianam illam Constantinopolitanarum rerum Collectionem ex Alberto Fabricio retulimus. Illic enim, dum de Basilii Imperatoris Constantinopolitani Macedonis ad Leonem Sapientem filium Κεφάλαια παραινετικά, *Capitibus exhortatoriis LXXIII.* pag. 191. ad 192. locuti sumus, additus ex Fabricio: *Hunc librum primus Bandurius emendavit ex duobus MSS.*

MSS. Codicibus Bibliothecæ Regis Christianissimi, num. 3059. & 3363. Exstabat ergo Codex MS. Græcus in Regia Galliarum Bibliotheca num. 3058. dum clarissimus Ducangius viveret & Catalogum scriberet: quippe cùm in Catalogo eodem mentionem faciat numeri sequentis 3059. atque alterius longè ab hoc numero remoti, atque 3363. à Ducangio in Catalogo designati. Unde liquet de hallucinatione Banduri.

2. Id non minus constat ex Ducangio, qui ad calcem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis* pag. seu col. 29. singularius allegat manuscriptos Codices Græcos hunc numerum 3058. excedentes his verbis: *Anastasii Patriarchæ Antiocheni Opusculum de Synodo Episcoporum Orientis, in Perside coacta, ex Codice Regio* 3111. Hæc in Catalogo ultimo, sed Labbeus in *Nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum*, supplemento vnà pag. 289. refert hoc Opus hoc titulo, *Anastasii Patriarchæ Antiocheni narratio eorum, quæ gesta sunt in Synodo ab Orientalibus Episcopis in Perside, Codice* 1370. Erat ergo hic Codex 3058. in Regia Galliarum Bibliotheca, quando Ducangius & Cotelerius Anno 1686. Catalogum novum Mss. Codicum Græcorum omnium hujus Bibliothecæ collegerunt atque ordinarunt, qui longè majoris numeri Codicem MS. Græcum 3111. allegant, quem Labbeus in Catalogo antiquiori sua in Bibliotheca obtinente, num. 1370. designaverat.

3. Id quoque certò & evidenter constat, ex his quæ allegavimus Ducangii verbis capite 3. hujus Dissertationis, & quæ repetere hîc necessarium non est. Clarissimus itaque Ducangius ad finem *Glossarii sui mediæ & infimæ Græcitatis* verbo *Michael Psellus*, columnâ 29. ubi Catalogum Scriptorum ineditorum Michaelis Pselli profert ex Manuscriptis Regiæ Bibliothecæ, non tantum meminit Opusculorum ejus ad *Historiam Constantinopolitanam* verè spectantium,

quæ Codicibus Regiis 1837. atque 3058. habentur: sed aliorum etiam Operum Pselli ejusdem, quæ in manuscriptis Codicibus numerum 3058. excedentibus sub nomine ejusdem Pselli comprehendebantur. Nempe *De Agricultura*, seu περὶ γεωργικῶν, ex Codice Regio 3502. Opus ineditum πόνημα ἰατρικὸν ἄριστον δι' Ἀμβῶν, ex Codice Regio 3502. Itaque certò & evidenter Codex MS. Græcus 3058. quem Bandurius allegat, erat in Regia Galliarum Bibliotheca, dum viveret, & Catalogum Bibliothecæ hujus cum Cotelerio compaginaret Ducangius, qui numerorum isto longe superiorum, in Codicibus Græcis inscriptorum, disertam in scriptis mentionem facit.

Denique Codices Græcos Regios numerum 3058. in MSS. Codicibus excessisse, facillimè Bandurius scire potuisset, si cum attentione aliquâ volvisset Opera Domni Bernardi de Montfaucon confratris sui, quem honoris causâ, in Præfatione magnifica Operis sui, *Magistrum suum atque in studiis Pædagogum* appellat: Hic enim Bernardus in Opere, quod *Palæographiam Græcam* inscripsit, atque cum Litteratorum applausu omnium in folio edendum curavit Parisiis Anno 1708. passim facit mentionem MSS. Codicum Græcorum Regiæ Galliarum Bibliothecæ qui numerum 3058. excedunt, quos hîc ex *Palæographiæ* lib. 1. cap. 6. juxta paginas enumerabo.

pag. 44. memoratur Codex 3424.
pag. 47. Codex 3265.
pag. 51. Codex 3421.
pag. 58. Codex 3513.
pag. 63. Codices 3437. & 3370. cujus dat specimen lib. 4. cap. 8. pag. 419. & contenta libro 6. pag. 418.
pag. 64. Codex 3499.
pag. 65. Codex 3482.

pag.

pag. 69. Codex 3483.
pag. 70. Codex 3171.
pag. 74. Codices 3495. & 3239.
pag. 76. Codex 3526.
pag. 77. Codices 3357. 3261. 3259.
pag. 81. Codex 3219.
pag. 82. Codices 3260. 3360. 3145. 3290. 3331. 3338. 3206.
pag. 83. Codices 3307. 3129.
pag. 84. Codices 3458. 3178.
pag. 85. Codex 3245.
pag. 89. Codex 3313.
pag. 90. Codex 3066.
pag. 91. Codex 3392.

Atque ibidem libro v. cap. 2. pag. 352. Codex Mſſ. Græcus 3514. Teſte igitur Bernardo de Montfaucon Bandurii Socio & Commonacho, ætate qua vivebat & ſcribebat Ducanglus, Codex MS. Græcus 3058. in Bibliotheca Regia exſtabat & in Catalogo cenſebatur, cum multis aliis numerum hunc etiam excedentibus.

Neque mirum cuiquam videri debeat, quòd huic MS. Codici Græco 3058. in Catalogo recenſito, operam ſingularem Dufreſnius ac Cotelerius non impenderint: cùm enim eſſet *Anonymus* atque *chartaceus*, facilè relinqui potuit: cùm rariſſimum ſit, ut ab Eruditis, etiam cum multa mentis contentione atque otio agentibus, Anonymi Scriptores detegantur: unde fit ut ab iſtorum Catalogorum Mſſ. ordinatoribus relinquantur, ne tempus atque oleum in iis detegendis terant, & ab opere ad finem urgendo removeant. Fortuitum ſane fuit ac fauſtum Bandurio, quòd *Anonymo huic chartaceo* animum appoſuerit; fortuitum quoque mihi fuit, quòd ex nuda verborum

Ban-

Bandurii lectione, absque studio, *Anonymum* detexerim, adjutus Dissertatione recenti, quam non ita pridem de Pselli Scriptis Mss. & editis conscripseram. Id itaque vel providentiæ vel fato, non felicitati ingenii vel studio, tribuendum videtur.

Addit Bandurius, *Origines illas Constantinopolitanas nunc primum in lucem prodire, ex Codice MS. Græco Regio* 3058. *chartaceo, circa Michaelis Palæologi tempora conscripto & Constantinopoli advecto, paucisque post Ducangii obitum annis in Bibliothecam Regiam illato.* Fallitur illic Bandurius, nam Anno eodem 1688. quo Ducangius mortuus est, advecti sunt Constantinopoli ad Regiam Bibliothecam Codices Mss. Græci triginta circiter, optimæ notæ in membranis antiquissimis, quos omnes ex humanitate laudabilis viri Nicolai Clement, tum temporis Librorum Regiæ Bibliothecæ sub Domino Thevenot, Bibliothecæ Præfide, Custodis, qui illos omnes oculis nostris inspiciendos atque manibus contrectandos in Bibliotheca per otium voluit, ut de illorum antiquitate ex scripturâ, ex membranâ, ex compacturâ veteri judicium certius ferre possemus, antequam illi omnes in pluteos cum manuscriptis aliis recenserentur, atque Catalogo inserrentur. Omnes illi veteres ac sæculorum plurium ob antiquitatem, sed chartaceus nullus, qui hac ratione recentem ætatem Codicis demonstraret. Atque ita Codices illi manuscripti in Regiam Bibliothecam Constantinopoli deportati, quos vidimus & excussimus, suspicioni Bandurianæ opitulari non possunt, in quibus Volumen chartaceum recentisque temporis nullum à me animadversum fuit.

Hos inter Codices Mss. recenter in Bibliothecam Regiam Constantinopoli advectos, singularis mihi notæ & observantiæ fuit Codex *Homeri* antiquissimus,

mus, † quadratis litteris scriptus, membraneus, in 4. unum pedem altus, ex pergameno validissimo, cujus compactura singularis ita in longitudinem protendebatur, ut ultram etiam excederet, atque ratione istâ cum aliis in Bibliothecam immissus, solus tabulam integram longitudine suâ implere & occupare posset; cui me similem alibi vidisse nunquam memini.

Inter illos quoque *Herodotus MS. optimæ notæ*, de quo, ut quidem crediderim, ita *Historia Critica Reipub. Litterariæ*, Tomo VII. Art. XII. in *Nuntiis Litterariis*, pag. 453. „ Mr. Berglerus, de Leipsig, con„tinue toûjours à travailler à sa nouvelle Edition „d'*Herodote*, & avec beaucoup de soin. Il a reçû „des *Variantes* de plusieurs endroits: on consulte pour „lui un MS. de la Bibliothéque du Roi de France, „venu de Gréce depuis quelques années, & qu'aucun „de tous ceux qui ont travaillé sur cet ancien Histo„rien n'a vû.

Hæc de *Collectione* Anselmi Bandurii, cum reverentiâ Scriptoris eruditi.

Cette Dissertation *paroîtra, sans contredit, d'autant plus digne de l'attention du Public, que le docte Auteur, outre les justes & solides Observations Critiques de son crû, qui sont renfermées dans les 3. 7. & 9. Chapitres, y fait entrer un judicieux Abrégé de presque tout ce que les Savans ont dit, depuis deux ou trois ans, de la* Collection *du P. Banduri. Si l'on découvre ici quelques erreurs de ce dernier, & si on le refute quelquefois, cela se fait sans la moindre hauteur, d'une maniére également*

† Voilà un MS. qui, par cette description de Mr. *Oudin*, paroît extrêmément curieux, & qui, sans doute, seroit très utile pour tous ceux qui voudroient travailler sur cet ancien Poëte. Il est surprenant, que Madame *Dacier* ne s'en soit point servie dans son *Iliade*. Peut être qu'elle en aura fait usage dans son *Odyssée*.

lement douce & honnête, quoique par des preuves convaincantes. Ce célébre Bénédictin eſt, ſans doute, trop pâli & trop attaché aux intérêts de la vérité, pour s'en trouver choqué. Un atrabilaire l'auroit peut-être maltraité à l'aiſe, & en auroit fait un Novice, à l'occaſion des fautes qu'il a commiſes, tant ſur les qualitez, que ſur la fauſſe antiquité de ſon MANUSCRIT ; *lequel eſt certainement très récent : mais on agit ici avec toute la civilité & toute l'humanité poſſibles. Dom Banduri ne ſauroit donc trouver mauvais, qu'un Savant de Hollande découvre ce qu'il n'a pû découvrir à Paris, ni en Italie.*

Mr. OUDIN, *ci-devant Religieux de l'Ordre de* PRÉMONTRÉ, (*Voy. le Journal des Sav. Janv.* 1688. *p. m.* 198. *Edit. d'Amſterdam*) *a vû les MSS. de la Bibliothéque du Roi de France, long-tems avant le Bénédictin, & il les a conſultez & examinez avec tous les ſoins & toute l'exactitude imaginables. Il n'eſt rien ici qu'il n'ait vû, rien de plus vrai, que tout ce qu'il vient de dire des MSS. du Roi, les Catalogues en ayant été faits, lorſqu'il étoit à Paris & continuellement dans cette Bibliothéque, avec l'agrément de Mr.* THEVENOT, *Bibliothécaire, & de Mr.* CLEMENT, *Garde ; qui, tous deux, pouſſoient l'honnêteté juſqu'à lui permettre d'emporter, tous les jours, des MSS. de la dite Bibliothéque dans la maiſon de ſon Ordre, afin qu'il s'en pût ſervir à loiſir, & avec plus de commodité. Du reſte, nôtre habile Auteur auroit eu pluſieurs autres choſes à dire ſur ce ſujet ; mais il les a ſupprimées, crainte d'être trop long.*

FIN.